A ctoritas, usque adeò crevit, ut Pragenses, ac potiores Boemiæ civitates huic ultrò parerent. Hoc adversæ factionis homines perquam molestè tulerunt: ad Georgium Pogiebracium confugere, quem sapientia, & bellica disciplina, item ingenti gestarum rerum gloria præstantem esse noverant. Georgius suscepta provincia, incendio Pragæ de composito excitato urbem occupat. Capitur Mainardus, & in carcerem coniicitur. Multi carceris tædio, nonnulli veneno absumptum interiisse ferunt. Georgium integram potestatem nactum, sic urbem, & Boemiam illico pacasse, & pacatam in otio diù tenuisse tradunt, ut nemo sit, qui ex tanto facinore tantùm quietis promanare potuisse crediderit. *Bonfin. lib.4. Dec.3. hist. Ungariæ.*

Franciscus Carrariensis, cùm Vicentiam Venetis adimere conaretur, superatus, & captus, Venetiis cum duobus filiis in carcere strangulatus est, anno 1406. *Fulg. lib.6. cap.11.*

Gulielmus Montiferrati Marchio, Othonis Vicecomitis Archiepiscopi Mediolanensis contra Turrianos Dux, Beatricis uxoris instinctu, quæ Castellæ Regis Alfonsi filia erat, Othonem per insidias principatu deiicere studens, liberalitate Othonis à Diro præposito aliquandiu suspensus, tandem domestico bello implicatus, cùm nefario scelere Derthonensem Episcopum necasset, in manus Alexandrinorum ex insidiis captus devenit: apud quos ferrata in cavea, atrocibus corporis, atque animi tormentis excruciatus, interiit. *Jovius in vita Othon. Vicecomitis.*

B

Alfonsus Petruccius, Pandulfi Petruccii tyranni Senensis F. Cardinalis, à Leone X. contra fidem datam captus, & falso crimine insidiarum, atque veneficii obiecto in carcerem tetertrimum detrudendus: cùm præfecti carceris vicarium, suum olim famulum, oratione debili ad misericordiam movere non posset, ut in mitiorem carcerem mitteretur, ad vim conversus, dum cum vicario luctatur, pugione caput ictus periit, & sacco immissus, à bajulo noctu sepultus est. *Garimbert. l.4. de vitis Pontificum.*

C

Petrus Navarrus, qui Galliæ Reg. Francisci in opugnando Cæsare Carolo V. auspicia sequutus fuerat, in carcerem conjectus est, ea Hicardi custodis indulgentia, atque humanitate, ut extrui sibi in foro vaporarium camini tubum, quo algens calefieret, impetravit. Sed aliquanto post vel æger, & senex (cùm eum, sicuti alios, qui eo bello defecissent, Cæsar perscriptis ab Hispania literis capite plectendum esse censuisset) exanimatus in culcitra repertus est. Nec defuere, qui crederent eum superinjectæ multiplicis stragulæ vestis pondere pressum, ultrò necatum fuisse: quòd Hicardus existimatione fortissimi ducis permotus, cum, qui illam eandem arcem aliquando cepisset, revocata rerum fortiter gestarum memoria, extra Cæsaris invidiam, carnificis manibus subtrahere voluerit. *Jovius lib.26. Hist.*

Jacobus Piccininus Dux à Francisco Sfortia socero ad Ferdinandum Neapolitanum Regem missus, data fide, cum, quoties libuisset, incolumem redituram: Neapoli captus à Ferdinando cum filio, in carceremque conjectus, non ita multò post vita privatus fuit. *Plat.*

Exilio.

Jason Pontifex celebratissimus à Menelao fratre pulsus, cùm cædem civium crudelissimam fecisset, Spartam fugit, & ibi in exilio ab omnibus contemptus obiit. 2. *Machab.* 5.

In Arcadia prope Mantineam Peliæ Filiarum tumuli sunt. Has Mantinenses narrant paternæ necis invidiam fugientes huc se recepisse. Medea enim, ubi primùm Jolcon venit, Peliæ insidias machinata est, re quidem Jasoni ad regnum viam muniens, cùm in eum tamen verbo hostili animo esse videretur. Persuadet itaque regiis puellis earum parentem se medicamentis à summa senectute ad juventutem revocaturam. Nam & vetulum arietem dedita opera jugulatum, cùm inter venena coxisset, tenellum agnum dicitur è lebete eduxisse. Mox verò cum Pelian ipsum in frustra dissectum in ferventis aquæ lebetem immisisset, senis corpus filiæ ita resolutum recepere, ut ne reliquum quidem quidquam esset, quod sepulturæ traderent. Hic casus, ut in Arcadiam exilii causa abirent, puellas adegit. Ac fato quidem suo perfunctis sepulchra congesta terra ab Arcadibus extructa. Nominа virginum, Poetarum indicavit nemo. At Mycon pictor earum imaginibus Asteropeam, & Antinoem adscripsit, *Pausan. in Arcadicis.*

Thesеus Atheniensium Rex, exul in Scyro apud Lycomedem, obiit ex præcipitio. *Plut. in ejus vita.*

Helena cùm Spartam rediisset cum Menelao, post aliquot annos Menelaus obiit. Eo mortuo, statim Helenam expulerunt Nicostratus, & Megapenthus cives Spartani, quòd ejus causa tot mala, totque clades fuissent subsequutæ. Igitur Rhodon exul profecta ad Polyzo reginam, à famulis die quadam in hortum egressa de arbore suspensa fuit ex zelotypia. *Guido Bituricensis.*

E

Themistocles, Magnus ille Persarum terror, pulsus à suis, apud hostes Magnesiæ hausto taurino sanguine obiit. *Plutarch.*

Demosthenes orator, cùm Macedonum regibus diù adversatus esset, tandem post acceptam cladem Græcorum in Thessalia, à Macedonibus, in Calauream insulam, quæ juxta Trœzenem est, relegatus fuit. Revocatus paulò post, iterùm post Lamiacam cladem in eodem reversus, ne Archiæ Thurii opera in manus Antipatri veniret, veneno seipsum necavit. *Paus. in Atticis.*

P. Nigidius Figulus, quem Lucanus astrologiæ peritum fuisse scribit, mortuus est in exilio, *teste Eusebio.*

In Cæcilii Minutiani Apuleii fragmentis observatum, annis septem in exilio consumptis, functum esse fato Ovidium Calend. Januariis: qua die Titus quoque Livius decesserit. Structum item illi à Barbaris per multas lachrymas tymbon ante januam. *Cal. l. 13. cap. 1. A. L.*

F

D. Joann. Chrysost. Episcopus Constantinopolitanus, in exilio periit, apud Comanam Euxini Ponti urbem, dolore capitis, & febri extinctus. *Surius.*

An. 964. Berengarius Italiæ Rex longa obsidione pressus, se in potestatem Othonis. I. Imp. cum conjuge tradidit. Is hominibus perfidis, & turbulentis non ampliùs fidem habens, ablegavit eos Bambergam, ubi in exilio expirarunt. *Marian. Scotus.*

Victoria.

Tellus Atheniensis, vir felicissimus, cùm potentia esset maximus in patria, & filii præstantissimi, atque optimi, tandem urgente bello Atheniensium contra Aristogitonas apud Eleusinam, posteaquam hostes superasset, ipse in bello occubuit. *Herod. lib. 1.*

Si Epaminondæ longius vitæ spatium fata prorogassent, G
fine dubio Thebani terræ, marisque imperium (ad quod capessendum illos paulò ante mortem accenderat) in suam potestatem asseruissent. Cùm verò non multò post in Mantineensi pugna, splendidissimam patriæ victoriam peperisset, strenuèque prœliando mortem oppetiisset: statim Thebanarum rerum universus status simul cùm ejus morte concidit, & collapsus est. *Diod. lib. 15.*

Alaricus Gothorum Rex, Roma capta, & spoliata, Latium, Campaniam, Apuliam, Lucaniam, & Calabriam ita cum toto exercitu peragravit, ut locum nullum intactum à vexatione, ac direptione reliquerit, atque in primis, quasi Romana victoria efferatus, in ecclesias, sacerdotes, Episcoposque extorquendi auri gratia debacchatus, simul omnia humana, divinaque jura polluerit. Direpta per multos menses Italia, Siciliam petere statuit. Ob id progressus Rhegium, exercitu in naves imposito, cursum eo intendit. Verum adversa tempestate rejectus, se retulit in Calabriam. Consentiam expugnatam diripuit. Ibi morans, de rerum gerendarum ratione consultans, repentino morbo opprimitur, atque in summo blandientis fortunæ articulo parvo horæ momento extinguitur. Quo casu Gothi exanimati primùm tantùm amissum regem miserè defleverunt, deinde justa more suo cadaver H
ri quàm amplissima persolverunt, ac demùm sepulturæ occultandæ causa, justam Italorum, quos is læserat, iracundiam veriti, opus insigne moliti sunt, quippe Busentum amnem oppidum ipsum præterfluentem magno militum labore alio averterunt, ac locum sepulchro in medio alveo suffoderunt, atque ibi cadavere cum multis opibus condito, deinde amnem suo ire flumine permiserunt: & ne locum quis scrutari sepulturæ posset, captivos, qui notasse illum oculis poterant, occiderunt. *Sigon. lib. 11. Imp. occid.*

D

Indulphus Scotorum Rex, parta victoria contra Helricum Danù, & Hagonem Norvegum propè Boenam, campos cum manipulis militaribus lustrans, in Danorum cohortem in valle latitantem, quæ sub pugnæ initium eo confugerat, casu incitidit. Cùm quibus pugna inita, spiculo caput confossus, hostibus ad unum priùs interemptis, occubuit. *H. Boeth. l. 11.*

Hungaris ab Othone I. Vindelicorum Augustam magna strage cæsis, Conradus Sueviæ Dux, gener Othonis, æstu & la-

& labore fatigatus, dum loricam resolvit, auræ captandæ gra- A
gia, ictu sagittæ cecidit: non sine maximo Francorum planctu, Vvormaciam delatus, & sepultus est. *Cuspi.*

Clodomirus Aurelianensium Dux, post obitum patris, cùm matris Clotildæ precibus in Gondebaldum arma sumpsisset: exercitu in Burgundiones ducto, in acie fortiter dimicans, suisque victoriam relinquens, occubuit. *Rittius lib. 1. de Reg. Francor.*

Victis ad Roncum amnem prope Ravennam Pontificis Julii II. & Cæsaris copiis, ann. 1512. die Paschatis, Gasto Foissejus Gallorum Dux, Ludovici XII. Gallorum Regis ex sorore nepos, planè victor, immodica defendi hostis cupiditate impulsus in recipientes se per aggerem Hispanos pedites impetum fecit, ibique aliquot sua manu cædens, ac intemperanter persequens, ab nova manu hostium, quæ fugiens legioni se conjungere properabat, circumventus, atque interfectus est. Miserabili certè casu, cùm summæ indolis, & fortunæ Imperator à gregarius paucis, & fugientibus occideretur. Nemo enim, vel nomen profitenti, & se Hispaniæ Regimæ fratrem ad impetrandam vitam sæpè dicenti, parcendum putavit, aut è suis maturam opem tulit. *Jovius in Alfonso Atestino, & Guicciard. lib. 10.*

B

Ferdinandus Magellanes Lusitanus, Regis Catholici auspiciis ex novo orbe Meridiem versùs navigans, fretum Antarcticum repetit, per illud ad Moluccas penetravit. Sed dum majore animo, quàm viribus Mauranos insulanos oppugnat, in prælio occisus, fructum gloriæ amplissimæ Joan. Sebastiano à Cano, qui ei suffectus est, decerpendum reliquit, an. Sal. 1521. *Petr. Cieza tom. 2. Rerum Ind. cap.92.*

Per se, ut Literariæ, Mechaniсæ, Oeconomicæ, Politicæ, Ecclesiasticæ, Academicæ functiones sunt. Immortui

Scriptioni.

Solon cùm argumentosam de Atlantico sermone, vel fabula inchoasset commentationem, quam ex doctis Sai acceperat, convenientem Atheniensibus, elanguit, non propter occupationes, ut Plato vult, sed potius ex senio, operis magnitudine deterritus. Atqui Plato argumentum Atlanticum, ut amœni loci aream desertam, quæ proximitatis jure ad ipsum rediret, excolere, & expolire gestiens: cinxit ingentibus vestibulis, septis, & atriis, qualia scriptum C
nullum aliud nec fabula, nec poema habuit. Sed quia serò admovit ei manum, opus letho antevertit. At quò magis, quæ scripta sunt, oblectant, eo gravius opere angunt non consummato. Ut enim urbs Athenienfis templum Jovis Olympii, ita argumentum Atlanticum inter scripta multa præclara solum reliquit Platonis sapientia imperfectum. *Plut. in Solone.*

Aug. Politianus, Andronici discipulus, rem assumpsetat perutilem, si per mortem licuisset, auctores vetustate, aut negligentia collapsos innumeris locis emendare, ac restituere. *Volat. lib. 21. Anthrop.*

Georgius Merula, patria Alexandrinus apud Vicecomites Mediolani agens, eorum historiam, quam sumpserat scribendam, morte præventus non absolvit. *Ibid.*

Disputationi.

Gregorius X. Pontifex Lugdunum Conventum universi nominis Christiani indixit: & quia instaret certamen cum Græcis, doctissima, sapientissimaque gente, cùm de multis aliis, D
tum de almi Spiritus processione: Thomam Aquinatem, qui Neapoli docebat, ut de Græcorum, Latinorumque contentione aliquid monumenti ederet, & Lugdunum veniret, hortatus est. In itinere sanctus vir, & doctor obiit, ann. Chr. 1284. *Æmil. lib. 7.*

Medicationi.

C. Julius medicus, dum inungit specillum per oculum trahens, *Plin. lib. 7. c. 53.* Quidam ad conspicilia referunt, quæ infetta naribus visum mirè adjuvant. Sed Varro facilè hos retundit, apud quem ita legimus: Hinc, quo oculos inungimus, quibus specimus, specillum. *Celius lib. 15. cap. 13. A. L.*

Venationi.

☞ *Consule Tit. Venatorum, item, Ab imprudentibus interfectorum.*

Saron Trœzeniorum Rex, qui Althepo Neptuni F. successit, in venatione cervum persecutus in Phœbeam usque paludem, & prædæ cupiditate natando in pelagus usque provectus, ibi & labore confectus, & maris æstu submersus periit. Cada- E
ver in Dianæ loco ad paludem conditum, & palus ipsa pro Phœbæa Saronis appellari cœpit. *Paus. in Corinth.*

Smerdes, frater Regis Persarum Cambysis, ejus jussu à Prexaspe in venatione Susis occisus est. *Herod. lib. 3.*

Archelaus Macedoniæ Rex in venatione vulneratus haud sponte à Craterо suo catamito, mortem obiit, cùm septem regnasset annos: cui successit in regno adhuc puer Oreستes, Quo tutor ejus Æropus necato, regnum sex annis obtinuit. *Diod. lib. 14.*

Basilius Macedo Græcor. Imp. cùm venatum esset, in cervum incidit inusitata magnitudine, elata in altum cornua gestantem, quem persequendo assequutus, cùm stricto gladio percussurus esset, bellua ramo uno cornuum zonæ Imp. infixo, illum sublimem tulit, quoad stipatoris accursu districta fuit zona: quem propter districtum gladium securi percuti jussit. Cornu autem percussus læsis intestinis, supervixit non diù, *Zon.*

Calojoannes Comnenus, Alexii Imp. filius, in venatione sagitta venenata, quæ in aprum directa erat, manu leviter perstricta, periit. *Volat. lib. 23. Anthrop.*

Joann. Imp. Constantinopolitanus ann. 1142. provinciam Antiochenam ab Raymundo Principe accitus invit. Verum ab Episcopo Gabulensi, ut ab urbe Latinorum abstineret, admonitus, urbem ille quidem dimisit, sed provinciam ferro, flammaque ita vastavit, ut ne ipsis quidem eremitis pepercerit. Postero anno jaculo inter venandum percussus, vitam reliquit. *Sigon. lib. 11. regni Ital.*

Lambertus Italiæ Rex, venationi indulgens, dum aprum infectatur, qui multis anfractibus ejus cursum ludificarat, fessus quieti se tradidit. Meginfredi Comitis Mediolanensis filius, qui licet regi à secretis esset, paternam necem alto animo reconditam habebat (cum enim Lambertus capitis damnarat, quòd Berengarii partibus faveret) dormienti truncum ligni in caput inflixit, ac cervicem fregit: quasi aprum insequens ex equo decidisset. Post ejus mortem Rex Berengarius pristinæ dignitati restitutus est. *Cuspin.*

Carolomannus Galliæ Rex venatum profectus, dum ab apro occupatur, à stipatore Bartholdo opem ferre conante, venabuloque feram incautiùs petente sauciatus, paucis post diebus interiit. Verum ne stipator occideretur, ab apro se percussum simulavit. *Avent. lib.4. Annal. Bojorum.*

Childericus II. Clodovei F. Anno regni Francorum 12. à Bodillo aulico satellite, quem ad stipitem ligatum flagellari præceperat, in venatione una cum uxore prægnante pugione est confossus. *Sigeb.* G

Chilpericus Gallorum Rex, in venatione à Landrico uxoris Fredegundæ adultero, in saltu quodam obtruncatus est. *Michael Rittius lib. 1. de Reg. Francor.*

Phafilla Legionis, & Asturum Rex, Pelagii Regis filius, venationis studiosissimus, semper in montibus, sylvisque latitans, demùm ab urso laniatus est. *Rittius Neapolitan. lib.2. Regum Hispaniæ, Tarapha, Roder. Toletan. lib. 4. Regum Hispan. an. 770.*

Ludovicus Bavarus Imperat. in venatione tactus apoplexia, Monaci sepultus est, anno Christi 1547. *Hedio in Chr. Germ.*

Godefridus Danorum Rex, tempore Caroli Magni, dum halyaetis anates venatur, & aquilam à præda avellit, à filio, cujus matrem pellice superinducta repudiarat, an. Christi 809. interficitur. *Aven. lib.5. Annal. Bojor.*

Gulielmus Ruffus Anglorum Rex venatum profectus in eos fatus, quos vulgò Novam foresta vocant, à quodam Franco milite, Gualtero Tyrello, dum ille parum cautè in H
cervum, seu nimis accuratè in regem jacularetur, sagitta transfixus est, atque uno gemitu sine voce edito, animam efflans ex equo in terram cecidit. Gualterus, nemine persequente, fuga evasit. *Polyd. lib. 10. Angl. hist.*

Renatus Dux Lotharingiæ, tranquilla jam gubernatione dum venationi plus nimio indulgeret, Fanii juxta Barrum obiit, An. Chr. 1508. *H. Henning. in General.*

Fulco Rex Hierosolymorum, cùm leporem insequeretur ex improviso apparentem, equus, cui insidebat, super eum se præcipitem dedit, ipsumque vita, & regno privavit. *Rab. Abbas in Chron.*

Maria, Caroli Burgundiæ Ducis filia, Maximiliano à patre Freder. III. Imp. in matrimonium data, postquam Philippum, Franciscum, & Margaritam liberos peperisset, in venatione ex equo cadens, non multò post abortivit, & in ipso flore juventæ obiit. *Lazius lib. 3. Rerum Viennensium.*

Edovardus II. Anglorum Rex, Alfredæ, novercæ insidiis à servo in venatione interfectus. *Polyd. lib. 6.*

Attilus II. Succorum Rex, à Frovini, quem ipse duello occiderat, filiis in venatione interemptus fuit. *Joan. Magnus lib. 2. cap. 30.*

Æbioni forensi.

Bebius, Judex, dum vadimonium differri jubet: obiit. *Plin. lib. 7. cap. 53.*

Legatus, qui Rhodiorum causam in Senatu Rom. magna cum admiratione otaverat, in limine curiæ protinus expiravit, progredi volens. *Plin. lib. 7. cap. 53.*

M. Terentius Corax, dum tabellas in foro scribit, repentè obiit. *Plin. lib. 7. cap. 53.*

Plogus quidam, claro inter Jutos loco natus, ad Ericum III. Danor. Rege Rypam veniens, militiæ titulo stipendium postulans accepit. Fortè Ericus inter populares litem componere rogatus, publicâ id concione exequi statuebat. In qua cùm Plogus cuidam ex plebe de se querenti satisfacere juberetur, dicendi simulatione facta, cum lancea progressus, regem inermem lancea transverberavit. Et ne timidius dicere, quàm facere videretur, regem à se prostratum vociferans, cæteros ad militum cædem hortatus est. Aulicis passim metu dilabentibus, solus Ericus Haquini filius, diu exanimi regis corpus gladio protexit, dignus, qui eidem in regno succederet. *Saxo lib. 14.*

Magistratus, Dignitatis petitioni.

Q. Fabius Maximus in consulatu suo pridie Calendas Januarii subitò periit, in cujus locum M. Orellius paucissimarum horarum consulatum periit: item Voleatius Gurges senator: omnes adeò sani, ut de progrediendo cogitarent. *Plin. lib. 7. cap. 53.*

Alexander Dux Lituan. pollicitus erat Sigismundo Romanorum Regi, si se Regem declararet, centum expeditorum militum millia per annum integrum suis impensis in Boemos militatura. Rex misit Archiepiscopum Saleburgensem, & Gutherum Magdeburgensem, coronationem solenni ritu peracturos. Cùm essent in itinere Archiepiscopi, cognoverunt, Alexandrum jam emigrasse. *Crantz. lib. 11. Vandaliæ cap. 22.*

Sigismundus Imp. cùm totius imperii viribus instructus non semel contra Jo. Zischam Hussitarum Ducem infeliciter pugnasset, imparem se hostibus cognoscens, subire tandem, juxta suum proverbium, pericam, quam transire non poterat, statuit, ut levi damno honestatis detractæ, in genem utilitatem patriæ rependeret. Significat igitur occultè Zisconi, sibi in animo esse, posteaquam mille quotidie imperii, & regni Hungariæ curis distineretur, cum pro se vicarium, atque administrum in regno Boemiæ præficere, dummodo ad obsequium regium cæteros ordines, cum civitatibus hactenus contumacibus redigeret. Assensit ille tam lauto bolo. Sed mox ulcere pestilenti extinctus est. *Dubrav. lib. 26.*

Legationi.

☞ *Ex Tit. Legatorum, quædam.*

Athenienses Legatum miserunt ad Antipatrum Demadem oratorem, quòd is in Macedonico negotio dextrè versari videbatur, postulantes ab Antipatro, ut quemadmodum ab initio promiserat, educeret præsidium ex Munychia. Antipater primò animo erat erga Demadem benevolo: sed posteà mortuo Perdicca, & inventis quibusdam regis epistolis inter scripta regis, in quibus hortabatur Perdiccam Demades, ut celeriter transiret in Europam adversus Antipatrum, ab alienatus est ab eo, occultasque fovebat inimicitias. Itaque Demade secundùm data à populo mandata promissum exigente, & liberius minato de præsidio, Antipater nullo dato responsò, tradidit suppliciorum præfectis tum ipsum Demadem, tum ipsius filium Demeam, qui cum patre legatione fungebatur. *Diodor. lib. 18.*

Cùm oppressa à Julio Cæs. civitate Ser. Sulpitius Athenas se contulisset, tandemque ab illo restitutus, Græciæque præfectus fuisset, Romam reversus est, legatusque à Senatu ad M. Anton. Triumvirum, qui Mutinæ D. Brutum obsidebat, missus, ut eum à perditis consiliis ad sanitatem, pacemque revocaret. Qua in legatione interiit, & statnam equestrem meruit, ut ex ejus legatione apud Ciceronem intelligitur, quæ Philippica IX. legitur. *Horoman. in descript. Jurisconf.*

Agapetus Pontif. Rom. Theodato Regi suo Justinian. Imp. ob necem Amalasuentæ iratum conciliavit, sed in legatione obiit. *Procopius.*

Donatus Acciajolus, literis Græcis & Latinis eruditus, missus à Florentinis legatus ad Ludovicum XI. Gallorum Regem pro fœdere contra Xystum IV. Pontificem ineundo, cùm nondum ex Italia profectus decessisset, virtutis ergo est publico sumptu à civitate elatus: ejus liberi publici muneris, ac rerum omnium vacatione, & immunitate donati: tum ad filiarum collocationem pecunia à magistratibus decreta. In hujus locum Guidantonius Vespuius suffectus est. *Bruius lib. 7. hist. Flor.*

Joannes Cumein Augustanus ad Ludovicum Galliarum Regem ab Alexand. II. Scotorum Rege missus, priusquam legatione functus esset, mortem in itinere obiit. *H. Boeth. lib. 13.*

Belli consilio, meditationi, apparatui.

Subegerat totum Orientem Magnus Alexander, & jam de Aphrica cogitabat, posteà de Europa: sed festinata mors tantas spes abrupit, illustri documento, juxta summa & ima æquis à morte spaciis distare. *Sab. lib. 10. cap. 13.*

Philippus Macedoniæ Rex, magno prælio apud Scotusam à T. Quintio Flaminio superatus, metu trepidans, omnia sua populo Romano permisit, ac moderata mulcta defunctus acquievit. Post anxius, & regnum obtinere beneficio populi Romani ratus captivi potius esse, qui vivere contentus sit in luxu, quàm viri cesso, & alto animo præditi: cœpit bellum animo volvere, seque clàm, & astutè parare. Nam urbes viæ propinquas, & marinas debilitari permittens, & aliquatenus desolari, quo despectui esset: magnas vires in medio regno coegit mediterraneas. Præsidia, & urbes magna vi armorum, pecuniæ, & juvenum complens, instruebat bellum, comprimebatque velut in tenebris abditum. Armorum enim, quantum triginta millibus militum sufficeret, congesserat in armaria: frumenti intra muros clausi decies octingenta millia medimnorum: stipendium in decem annos decem millium mercenariorum militum ad tutelam regni præparatum. Cæterum ille ante quàm hæc moveret, & in opus educeret, tristitia, & mœrore animi est extinctus, quòd alterum filium Demetrium ex calumnia immerentem interfecisset. Superstes filius ejus Perseus hæreditarium cum regno in Romanos suscepit odium, tantæ moli ob ignaviam, & improbos mores impar. *Plut. in Æmilio.*

Constantinus Imp. contra Julianum in Thraciam movens, autumno jam senescente Tarsum venit: ubi levi febre tentatus, ratusque itineris motu eam exeuti posse, per vias difficiles Mopsuestiam prodiit, egredique postridie conatus, morbo ingravescente detentus, paulatimque nimio calore venis urente, extinctus est, successore ipso sibi Juliano relicto, anno ætatis XLV. Imperii XXXIX. ex quibus tredecim una cum patre, vigintiquinque post patris excessum regnavit. *Sigon. lib. 6. Imp. Occid.*

Constantius Cæs. ad Scotos subigendos intentus, gravi correptus Febre, septimo die quàm ægrotare cœperat, est extinctus. *H. Boeth. lib. 6.*

Majorianus Imp. Ravennas, mortuo Avito, Dux impiger, primus Vandalorum, Gensericique mores, ac mentem exquisivit, & an Aphri bene, an malè erga Romanos affecti essent, propriis investigavit oculis. Rebus diligenter exploratis, in Liguriam ad suos reversus, magna confidentia exercitum eduxit: qui ob ejus virtutem totius Aphricæ potiundæ spem conceperat. Sed morbi inopinati vi conatus tantus intercidit. *Cuspin.*

Germanus, Justiniani Magni ex sorore nepos, qui Africam, Stoza tyranno res novas moliente, servarat, Italiam quoque adversùs Gothos vindicare studebat. Nam Malasuentam, Amalasuentæ filiam, & Theoderici Regis neptem, Vitige Gothorum Rege marito priore mortuo, sibi matrimonio copulaverat: &, cùm secum eam duceret, Gothos adversùs eam arma laturos non putabat. Itaque & publica, & privata pecunia magnis conscriptis copiis, ingentes vires in bellum attulit: nam præstantissimi bello viri, cæteris ducibus fastiditis, eam sequuti fuerant, germanique ipsius filii, belli miro studio incitati, & barbari multi aut pecunia, aut amicitia nomina dederant. Cæterum dum in Illyrico exercitum contrahit, morbo tentatus interiit. Narses Eunuchus ei successor datus. *Sigon. lib. 19. Imp. occid.*

Conradus III. Germanorum Rex è sacra peregrinatione reversus, coronæ accipiendæ, Apuliæ recuperandæ, & Lombardiæ non tam componendæ, quàm comprimendæ studio inflammatus, juravit, se propediem cum exercitu in Italia trajecturum. Verùm anno 1152. repentino morbo oppressus, non sine veneni suspicione à medicis inductu Rogerii Siciliæ Regis, & Apuliæ Ducis dati, vita cessit, cùm insignia regalia Friderico fratris filio tradidisset, eidemque filium suum parvulum commendasset: atque in Bambergensi Basilica sepulturæ mandatus est. *Sigon. lib. 11. regni Ital. & Crantz. lib. 6. Sax. cap. 14.*

Urbanus III. Pont. Principes Christianos dissidentes videns, de pace reformanda egit, ut expeditio in Asiam procederet, Saladino ubique triumphante, iterùm capta Hierosolyma. In Francia obiit, anno primo necdum expleto. *Crantz. lib. 9. Metrop. cap. 1.*

Gregor. IIX. Pp. ut expeditio accelararetur, Pisas proficiscitur, Genuenses, & Pisanos gravissimè dissidentes reconciliaturus, ut uno animo navigarent in Sarracenos. Dum hæc molitur, nondum expletis duobus in pontificatu mensibus, moritur. Clem. III. vix tandem principes permovit, Friderico Imp. Philippum Franciæ, Richardum Angliæ Reges, Odonem Ducem Burgundiæ. *Idem.*

Innocent. VI. cùm classem pararet in hostes Christiani nominis, anno pontificatus sui nono obiit, apud Carthusiensis, quos prope Avenionem instituerat, sepultus. *Crantz. lib. 9. Metrop. cap. 1.*

Callistus III. bello contra Turcas suscepto, & CXV. millibus aureorum in eam expeditionem corrasis, anno ætatis 80. obiit. *Plat.*

Pius II. qui Callisto successit, Anconam jam venerat, & Christophorum Maurum Ducem Venetum, cùm triremibus adventantem, expectabat, contra Turcas iturus, cùm lenta febre confectus naturæ concessit. *Idem.*

Pius III. obiit decimosexto sui pontificatus die, Gallum Italia excludere tentans. *Plat.*

Christophorus III. Daniæ, & Sveciæ Rex, per diuturnam pacem magno thesauro collecto, meditari ferebatur bellum in litore Germaniæ, & præsertim in civitatem Lubecensem: quam non æquis oculis aspicere solitus credebatur, quòd olim Danici juris, nunc in eam videbatur arrogantiam erecta, ut bellum Danis auderet intentare. Sed anno nono regni sui, in arce Helsinburg, adversa valetudine fublatus est, ann. 1448. *Brant. lib. 8. Daniæ, cap. 25.*

Valdemarus Danorum Rex contra Sclavos Pomeranos expeditionem moliens, febre correptus, eadem malè à medico tractata periit. *Sax. lib. 15.*

Henricus V. Anglorum Rex, anno regni nono, Christi 1421. ætat. 36. in medio conatu Carolum Delphinum opprimendi, & regnum Franciæ in perpetuum Anglis subiiciendi, periit, non sine veneni suspicione. *Polyd. lib. 22.*

Expeditioni belliceæ.

Cùm tristis rumor de capta Hierosolyma, & declinatione rerum Asiaticarum, Germaniam, & omnes Christianas provincias replevisset, Fridericus I. anni. 1189. convocans Moguntiam Imperii cœtum, se crucis charactere insignivit, & cum eo Fridericus filius ejus Dux Sueviæ, multi Archiepiscopi, plures Episcopi, Dux Boemiæ, Dux Austriæ, & sine numero nobiles, & magnates; ita ut computarentur in exercitu Imperatoris sexcenta millia pugnatorum. In Armeniam veniens, dum meredianum æstum in fluminè abluit, vel vorticibus abreptus, vel frigore obrigescens periit. *Crantz. lib. 7. Sax. c. 2.*

Magnus, Danorum, & Norvegiorum Rex, Suenonem regni æmulum sæpe victum in Svetiam subsequens, cùm oppidum Alexthathiam præteriret, succumbente per occursum leporis equo, præcuto stipiti incidens extinctus fuit. Corpus ejus in Novergiam relatum, Throndemi in regiotum monumentorum area sepultum. *Sax. lib. 10.*

Venceslaus V. Boemorum Rex, dum in Poloniam cùm exercitu pergit, in Moravia divertit Olomutium in domum suburbanam, quæ Decani vocabatur, ad captandum autam frigidiorem: erat enim dies æstatis calidissima. Ibi exutis usque ad tunicam lineam vestibus omnibus, dum extra cubiculum solus per conclave ambulat, repentè nescio quis, sive à proceribus ignaviam regis detestantibus, sive ab Alberto I. Cæsare subornatus, in eum irruit, nudumque, & inermem adolescentem tribus lethalibus vulneribus confodit. Cum gladio cruentem Conradus quidam natione Thuringus in scalis comprehensus est: sed is ab aulicis antè discerptus, quàm ut vel agnoscere parricidium, vel edere auctores, conscisque cædis posset. *Dubrav. lib. 19.*

Obsidioni.

D. Ludovicus Francor. Rex in obsidione Tuneti profluvio ventris pestilente periit. *Æmil. lib. 7.*

Renaldus Archiepiscop. Coloniensis, qui trium Magorum corpora Mediolano capto à Frider. I. Imp. Coloniam traduxit, in tertia expeditione Friderici Italica, dum Paschalis III. contra Alexandrum II. restituitur, Romam obsidens, pestilentia periit, an. 1167. *Sigon. lib. 14. regni Ital.*

Asturum Rex Aldefonsus V. oppidum Viseum obsidens, cùm inermis speculatum esset egressus, inter scapulas sagitta percussus periit. *Rod. Tol. lib. 5. rer. Hisp. cap. 19.*

Conflictui, Pugnæ, in Acia cæsi. In bello trucidati.

☞ *Consule Titul. Fortes duces, milites. Item, Clades exercituum, quatenus mortis virorum fortium rationem habent.*

Saul Rex cum tribus filiis, Jonatha, Abinadab & Malchisua in monte Gelboe cæsus, cum magna manu Israelitarum, à Palæstinis 1. *Reg.* 31.

Cùm Pharao Necho Ægyptiorum Rex contra Medorum Regem proficisceretur, Josias Judæorum Rex, alioqui sanctissimus, Mageddone ei occurrit, Medorum Regi gratificaturus, transitumque ejus prohibiturus. Pugna commissa, à Pharaone occisus est. 4. *Reg.* 23.

Cùm Eurisitheus Mycenæorum Rex, ad Marathonem adversùs Herculis filios, Jolaumque ductasset exercitum, auxilium ferentibus Athenienfibus, in ipso prœlio occubuit. Reliqua sanè ejus membra Gargeti sepulta, caput autem Corinthi seorsum, quod ab Jolao circa fontem Acariam, secus tramitem, abscissum fuerat. Unde locus Eurysthei caput appellatur. *Strabo lib. 8.*

Capaneus in oppugnatione Thebarum primus scalis usus est. Verùm tanta vi faxorum oppressus à Thebanis, ut extinctus fulmine dicatur. *Veget. & Diod. lib. 5.* Eutipides fulmine ictum scribit, quòd scalis muro Thebarum admotis, urbem se expugnaturum dixisset, Διὸς δέκοντος, κλίσω μὴ δέκω.

Bello Trojano Protesilaus, & Patrocles ab Hectore, Cycnus, Memnon, & Hector ab Achille: Achilles à Paride: Antilochus Nestoris filius ex Eurydice à Memnone interfectus est.

Tellus Athenienfis civis, in Republ. bene instituta versatus filios honestos habuit, & bonos, & ex illis nepotes, omnesque superstites vidit. Tandem apud Eleusinam pro patria pugnans, devictis hostibus obiit. Eum Solon beatiorem Cœrso judicavit. *Herod. lib. 1.*

In Marathone contra Persas, Duce Miltiade, occubuit Callimachus Polemarchus Athenienfium exercitus, egregia navata opera: item è ducibus decem, Stesileus Thrasyli F. & Cynægyrus Euphorionis, dum summam puppim manu apprehendit, ea abscissa periit. Multi quinetiam alii Athenienses clari. Summa omnium 192. Persarum 6300. *Herodotus lib. 6.*

Gryllus Xenophontis F. Epaminondam Thebanum Ducem clarissimum in pugna ad Mantineam occidit. *Pausan. in Bœoticis.*

Lysander Lacedæmoniorum Dux invictissimus, cecidit in acie, superatus ab Athenienfium Duce Conone, bello Thebano, terrestri pugna. *Volat. lib. 16. Urb. Com.*

Machanidas Lacedæmoniorum tyrannus, prœlio ad Mantineam commisso, à Philopœmene Achæorum Duce interfectus est. Cui successit non multò post Nabis. *Pausan. in Arcadicis.*

Hostus Hostilius, cùm Romulus adversùs Tatium, qui montem Tarpejum tenebat, processisset: & in eodem loco, ubi nunc Rom. forum est, pugnam conseruisset, fortissimè pugnando cecidit. Cujus interitu consternati Romani, fugere cœperunt: ut est apud *Livium lib. 1. & Plutarch. in Rom. q. item Cæcilium.*

L. Paulus Æmilius Coss. in pugna Cannensi graviter vulneratus, cùm collega ejus Varro cum paucis equitibus profugisset, dolore ex tanto oppressus luctu sedebat in saxo, aliquem opperiens ex hostibus, qui interficeret se. Quia verò caput ejus erat, & facies cruore oppleta, omnibus ferè incognitum, & necessarii, & clientes prætervehebant. Unus ex pube patricia Cor. Lentulus equo delapsus admotù cum capere jubet, & se servare civibus, qui tum ut cùm maximè bono cõsule haberent opus. Ille huic refragatus petitioni, coegit adolescentẽ equum.

equum repetere lachrymans. Tum data ei dextera cùm se ere-
A xisset: Nuncia, inquit, Fabio Maximo, & ipse esto testis, præ-
ceptorum ejus Paulum Æmilium memorem usq; ad mortem
extitisse, sed victum esse primùm à Varrone, deinde ab Anni-
bale. Cum his mandatis dimittit Lentulum. Mox cùm in me-
diam stragem se invexisset, oppressus est. *Plut. in Fabio.*

L. Posthumius post Cannensem pugnam Consul in Gal-
liam profectus, & à Boiis cum exercitu profligatus, ne capere-
tur, omni vi in prælio occubuit. Cujus inventi caput præci-
dentes Barbari, ovantes in templo obtulerunt, idque sacrum
vas erat, quo in solemnibus libarent. *Livius lib.* 22.

P. Corn. Scipio, Pater Africani, cùm multas in Hispania
victorias consecutus esset, resque gessisset memoratu dignissi-
mas, demùm in quodam prælio adversùs hostes inito, cùm se
offert, ubi plurimum periculi erat, fubitò occiditur. Cn. Sci-
pio frater, simili penè casu paucis post diebus fortiter pu-
gnando interiit. *Livius.*

C. Quin. Flaminius consul, cùm Cajo Servilio inauspicato
iter ingressus, & ab equo, quo insederat, per caput devolu-
tus, cum Hannibale pugnans, apud Thrasimenum, unà cum
B exercitu, cecidit: ejus verò cadaver inter mortuos ab Hanni-
bale quæsitum, nec inventum est.

Sempronius Tuditanus prætor à Celtiberis cum exercitu
cæsus est, *teste Livio.*

M. Marcellus V. Cos. collega assumpto Crispino, filio-
que tribuno militum, cum ducentis viginti ad summum equi-
tibus, inter quos Romanus nemo, sed erant Hetrusci om-
nes, præter quadraginta Fregellanos, quorum virtutem
Marcellus, & fidem ubique perspexerat, speculatum profec-
tus collem quendam. Qui in insidiis locati erant ab Anniba-
le subitò exorti omnes, ac simul undique circumfusi jaculis
petere, ferire, fugientium terga cædere, resistentibus in-
stare, donec Crispinus duobus jaculis ictus, equum ad fu-
gam capiendam convertit, & Marcelli latus lancea, lata cus-
pide, fuit transfixum. Fregellani, qui pauci supererant, pro-
lapsum Consulem relinquentes, Marcello adolescente, & ip-
so saucio erepto, in castra profugere. Ceciderunt haud mul-
tò amplius quadraginta, lictores quinque, & duodeviginti
equites vivi in potestatem hostium venerunt. Crispinus quo-
que paucis post diebus ex vulneribus moritur. Clades hæc,
C ut uno in prælio ambo Consules caderent, anteà inaudita ac-
cidit Romanis. *Plut. in Marcello.*

Constantinus II. Magni F. non contentus facta divisione
cum fratribus, in qua Gallias adeptus erat: sed ob Italiæ, Afri-
cæque jus cum Constante fratre contendens, ubi ad Aqui-
lejam pervenerat, in fratris milites incidens, equo deturbatus,
cùm jaceret humi sine purpura, incognitus, multis ictibus con-
fossus, obtruncatusque, in fluvium Alsam projectus est. *Hie-
ron. in Chron. Socrat. lib. 2. c. 5. P. diac. lib.* 11.

Nicephor. Imp. posteaquam Poloniam partim viribus,
partim fraude captam diripuisset, cum Bulgaris in supe-
riori Mœsia congressus, in bello occubuit. *Volat. lib.*
23. *Anthrop.*

Meroveus Gallorum Rex, pro Romanis adversùs Hunnos,
& Visigothos in campis Catalaunicis pugnans occubuit. *Mi-
chael Ritius de Reg. Franc. lib.* 1.

Theodoricus I. Hispanorum Rex, pro Romanis adversùs
Attilam pugnans Hunnorum Regem, in campis Catalaunicis
occubuit. *Ritius lib.* 1. *Reg. Hisp.*

Alaricus Hispanorum Rex, qui post Henricum fra-
trem Gothis imperavit annis duodecim, in acie cæsus
est à Fuldiguino Comite apud Pictavium. *Ritius lib.*
D 1. *Reg. Hisp.*

Tejas Gothorum Rex, cùm apud Nuceriam adversùs Nar-
setem Eunuchum Ducem Justin. Imper. fortiter pugnaret,
clypeo nudatus, in prælio periit. *Sab. lib.* 4. *cap.* 6.

Rodericus Rex Gothorum à Mauris, à Juliano Comite stu-
prum filiæ ultuto evocatis, bello petitus, acie cecidit. *Ritius
lib.* 1. *Reg. Hisp.*

Almaricus Hispanorum Rex, cùm è pueris excessit, annis
quinque rem per se administravit (Theodericus enim hactenus
infirmam ætatem rexerat) & commisso cum Gallis prælio ob-
truncatus est. *Ritius lib.* 1. *Reg. Hisp.*

Sanctius II. Hispanorum Rex in acie cecidit, adversùs Sara-
cenos inito prælio. *Ritius lib.* 3. *Reg. Hisp.*

Veremundus Hispaniæ Rex III. in Alphonsi V. fratris lo-
cum succedens, contra Ferdinandum sororis suæ virum bello
suscepto, apud Caniociem in acie cecidit, anno regni x. *Ritius
lib.* 3. *Reg. Hisp.*

Romaclus Scotorum Rex, uxore è Pictorum gente ducta
Pictis charus, à Scotorum proceribus ob tyrannidem cæsus
est. Nectanus Pictorum Rex eam injuriam ultutus, Au-
E gusiano Scotorum Regi bellum infert. Victus bellum red-
integrat. Victores Picti, sed cum utriusque Regis interi-
tu. Nectano succedit frater ejusdem nominis. Ex temerè
motis in Fethelmacum Regem Scotorum armis, sagitta in
acie ictus periit. Qui Nectano successit, Heirgustus per sa-
crarios duos Fethelmacum trucidari curavit. *H. Boeth.
lib.* 6.

Maximinianus Valentin. III. legatus, atroci prœlio con-
tra Scotos, pictos, atque Britones pugnavit. Cæsi in acie Ver-
gusium Scotorum, Durstus III. Pictorum Reges: cum utriusque
gentis nobilissimus, Dionethus Britonum Rex in Cam-
briam trajecit. *H. Boeth. lib.* 7.

Britannis Duce Constantino jugum Scotorum, & Picto-
rum excutere conantibus, Dongardus Scotorum Rex in acie
periit cum XIVM. suorum *H. Boeth. lib.* 8.

Ad Cressiacum ann. 1346. die 26. Augusti cæsus ab Anglis
Gallicæ nobilitatis flos. Joannes item Boemorum Rex cæ-
sus, Adolphus Lotharingiæ princeps, Ludovicus Flandriæ
Comes. Carol. IV. Imp. Joannis F. vulneratus ægrè evasit. F
Dubr. lib. 21.

Sueno III. Danorum Rex à Valdemaro nepote acie victus,
propter senium ex defatigatione fugere nequibat. Captus, cum
quis esset interrogaretur, regis scribam profitebatur. Agnitus
tandem, equoque ob reverentiam majestatis impositus, sive
metus, sive spei instinctu, Valdemaro se sisti poscebat. Hæc
orantis caput agrestium quidam subitò advolans secuti præci-
dit. Corpus ejus Regum omnium superbissimi sepultura
plebeja elatum. *Saxo lib.* 14.

Devicto per Ericum Magno Danorum Regis filio, Petrus
Roschildensis, & Henricus Sveticarum partium pontifices,
omnesque Jutiæ, præter unum, antistites, eodem prælio op-
pressi dicuntur. *Saxo lib.* 13.

Bertholdus II. Livonienfium Episcopus, cùm armis religio-
nem suos docere vellet, miserè trucidatus est ab infidelibus
an. 1198. *Cranz. lib.* 7. *cap.* 13. *Saxoniæ.*

Castonus Turrianus, Napi F. post captum ab Othone Vi-
cecomite patrem, ultimo prælio ad Vaprium commisso, ho-
stium multitudine circumventus, Germanos equites ad pul-
cherrimam cohortatus mortem, conglobato cuneo ad ho-
G stium vexillum prostratis Hispanis penetravit, occisoque si-
gnifero illud arripiens, discerpit, atque ibi demum intercluso
à legione, interfectusque est. Tum verò Turriana acies
undique pulsa & profligata est, & Othoni confirmatum im-
perium. *Jovius in Othone.*

Jacobus Scotorum Rex, violato fœdere, Angliam invadens,
4. Idus Septemb. an. 1513. ab Anglis interfectus occubuit.
Ejus cadaver Bervicum delatum, diu sepultura caruit: nam ab
Anglis, quòd Gallis, schismaticisque favisset, sancto funeris, se-
pulchrique honore indignus putabatur, Adnotabant plerique
repetita superiorum Regum memoria Jacobum infelici po-
tius Stuardæ familiæ fato, quàm suo cecidisse, quòd pater, avus
& proavus eodem potiti regno, atque idem sortiti nomen,
ante diem ferro perempti mortem oppetiissent. Sed hunc tan-
quam ad meritam raptum pœnam nemo deflevit, quòd ipso
pugnante, pater in adversa acie ad parricidii notam fuerit in-
fectus. *Jov. lib.* 11. *Hist.*

Cæsar Borgia Valentinus custodia elapsus, ad Joannem
Navarræ Regem cum Alarino regulo, qui à fide defecerat,
bellum gerentem perfugit. In eo armorum motu cùm egre-
giam operam regi navaret, conferta ad Mendaviam pugna
victor occubuit, eo eventu, ut nequaquam agnitus detra-
H ctis armis nudus relinqueretur. Sed scutifer ejus cadaver equi
cervicibus impositum Pompejonem retulit, haud dubiè ra-
pienre fato ad eam urbem, cujus antistes antea fuerat. Neque
enim quisquam ferè repertus est, qui cùm sese susceptis semel
sacris abdicarit, tranquillum vitæ exitum tulisse censeatur.
Jovius in Consalvo.

Nuptiarum apparatui.

Philipp. Macedo Olympiade, ob suspicionem stupri, ut qui-
dam tradiderunt, expulsa, Cleopatram Attali filiam (ut Tro-
gus scribit, ut *Plut.* Attali sorore genitam) matrimonio sibi
junctura, medio nuptiarum apparatu, à Pausania nobilissimo
adolescente interfectus est, diesque lætitiæ destinatus, luctu
est, & mœrore regii funeris fœdatus. *Sab. lib.* 6. *En.* 4.

Livia Medullina Claudio Cæsari nuptura, die nuptiis de-
stinata, mala valetudine extincta est. *Guido Bituricensis.*

Ladislaus

Ladislaus Ungariæ, & Boemiæ rex, XIX. annorum ado-
A lescens, Magdalenam seu, Margaritam Caroli VII. Gallo-
rum regis F. ductura erat. Maximè ambigebatur de loco nu-
ptiis legendo. Ungari Budam, Boemi Pragam, Austriaci
Viennam opportunam maximè esse contendebant. Urgente
autem vehementiùs Georgio Podebradio Boemiæ gubernato-
re, Pragæ se nuptias celebraturum respondit. Ergo præ-
stantissimam ad regem Carolum legationem misit. Hujus
princeps fuit Udalricus pontifex Patavienfis. Ex principibus
Ungarorum ducenti, ex Australibus ducenti, totidem ex
Boemis delecti sunt, qui forma, habitu, nobilitate, apparatu-
que pollerent, & quisque regno dignus videretur. E Pa-
tavienfibus centum delegit Udalricus. Quare septingenti
equites in Galliam abierunt: item virgines & matronæ, quæ
regiam sponsam deducerent, quadringentæ, splendidissimo
cultu, ac venustate, omnes præterea quadrigæ auratæ, gem-
mateque: equi candidi octoginta: inaudita insuper vestium,
donorumque luxuria. Zacaconi Sterenbergio XL. millia au-
ri pro viatico numerata. Delecti & alii legati, qui ad nuptias
invitarent Cæsarem cum conjuge Leonora, regem Poloniæ,
qui unam, & Gulielmum principem Saxoniæ, qui alteram
B Ladislai sororem in matrimonio habebat: Bavariæ item, Rhe-
nique Principes, & Marchiones Brandeburgenses. Trabes,
& asseres Pragam convecti, ex quibus theatrum, & orchestra
extruerctur, in quibus ludos spectarent, & saltarent. Inter
hæc subito, & incerto languore tentari Rex, ipseque de recu-
peranda salute modicam spem habere cœpit. Cùm Hinco à
Vetovia, unus de consiliariis, regi ad fenestram stanti, la-
crymanti interveniisset, ac mœroris causam requisivisset, non
sine gemitu respondit, mortem sibi certam instare. Ne quam
tamen cæteris suspicionem infirmitatis daret, solito cœna-
vit, & cùm purpuratis satis hilares sermones in multam no-
ctem miscuit. Eunti in cubiculum, rapulæ, cujus cibi avi-
dissimus erat, oblatæ fuere. A quarum esu totam noctem
cruciatu, doloribusque vigilem exegit, & post sex, & triginta
horas, animam Deo tradidit. an. 1458. *Dubr. lib.* 29. *& Bon-
finius lib.* 8. *Dec.* 2.

Jonathas Judæorum dux cum Simone fratre, Machabæi,
intelligentes Jamris filios Nabathæos, celebraturos esse nu-
ptias cum illustris cujusdam Arabis filia, adductursosque
esse sponsam à Gabath oppido: occasionem observarunt vin-
dicandæ injuriæ, suis à Nabathæis illatæ. Medab igitur pro-
C perantes, insidiis in monte collocatis, expectarunt eorum
transitum. Ut verò in conspectum venit sponsus cum vir-
gine, & amicorum comitatu, coorti ex insidiis omnes ad
unum interfecerunt, usque ad quadringentorum numerum.
Josephus l. 13. *c.* 1. *ex* 1. *Machab.* 9.

Festo nuptiali.

Attila Hunnorum Rex spoliata tota Europa domum rever-
sus, summo sese otio tradidit: & post multas uxores ductas, ut
moris erat illius gentis, puellam nomine Hildiconem, specie
præstantem, sibi matrimonio copulavit, ac nuptias magna
hilaritate animi celebravit. Quo facto, vino, cibosque gravis
in omnem libidinis intemperantiam se effudit. Subinde fatiga-
tione resolutum somnus adeò altus oppressit, ut cùm sanguis
è naribus manare cœpisset, ipse nihil sentiens, saucibus,
ac spiritu interclusis, extinctus sit. Postridie manè illustri
jam procedente sole cùm ministri regem contra morem
cubare viderent, tristius aliquid suspicati, cubiculum ingre-
diuntur, atque ipsum sine vulnere, sanguine mersum, puel-
lamque demisso vultu sub velamine lacrymantem offendunt.
D *Sigon. l.* 13. *Imp. occid. Cranz. l.* 3. *Sveciæ c.* 6. ex quorundam
sententia, Honoriam, Valentiniani III. Imp. sororem fuisse
ait: quæ Attilam, precibus Leonis Pp. Romam relinquentem,
misso Eunucho permoverit, ut ipsam in matrimonium pete-
ret. Igitur missa ad Imperatorem legatione, puellam depo-
poscisse conjugem: ni daretur, redituram Italiæ excidio. Quæ
missa, cùm solemni apparatu nuptias Attila celebrarit: tan-
tumque vini lætus hauserit, ut apoplexia, cruore insuper de-
naribus erumpente, strangulatus fuerit.

An. sal. 1440. non longè ab urbe Lubeca, in villa Quale,
rusticanæ nuptiæ habebantur: ad quas matronæ, ac virgines
honesto virorum comitatu de Lubeca venerant. Ignis in cami-
no grandior excitatus, rectum rusticum ex calamis apprehen-
dit. Id feriis ad vesperam, cùm resoluti omnes in lætitiam
essent nemo animadvertit. Sedebant convivantes, aut cho-
reas (ex more rusticano) ducebant. Cecidit superne tectum,
involutique fumo, & igne, miserabili confusione perierunt,
viri, ac mulieres, numero centum octoginta. Sponsus, & spon-
sa in triclinio, per angustam nudi vix evaserе fenestram. Po- E
stera luce, illæsa ab igne corpora multa reperta, solo fumo
interempta, Hinc proverbium natum, ut nuptias Qualen-
ses appellent, quoties grande infortunium designare volunt.
Cranz. l. 12. *Vandaliæ c.* 12.

* Ferunt, eo tempore, quo Lutherus nuptias incestuosas ce-
lebrabat cum Catharina Borca, sive Borna bellum illud rusti-
corum in Germania exarsisse, & ultra 100. millia cæsa fuisse,
quorum gemitus, & suspiria ne minimum quidem Apostatam
illum, qui illius belli causa fuerat, permoverunt ad resipiscen-
tiam.

Visitationi ægrorum.

Nostra ætate in Gallia Uxorem Judicis Vicisezensaci in
comitatu Armeniacensi, sexagenariam, cùm amici nulla alia
ratione à conversatione quarundam avertere possent, nuncia-
ri illi curarunt, properè ad filiam veniret, jam animam agen-
tem. Credula illa concito gradu venit: sed filiam sanam,
& incolumem videns, repentè mortua concidit. *Laur. Joubert.
l.* 1. *de Risu c.* 11.

Otio, Quieti, Remissioni.

Theophrastus tantisper viguit, dum esset in labore. Simu-
latque remisit studium, interiit. Id quod ex epitaphio ejus F
ex Græco Latinè redditum colligi potest:

Frangi, fistudii tensum laxaveris arcum,
Veridici sanè verba fuere viri.
Namque opera assiduo valuit Theophrastus: & idem,
Laxato studio, membra solutus obit.
Erasm. in Adag.

CUM QUIBUS MORTUI. Puta HOMINES
Cum Hominibus. Et vel
Pauci simul.

☞ *Consule Tit. Victoria incruenta, cum paucorum sanguine.*
Multi simul. Strages magnæ.
Clades. Ex

Pestilentia. Pestilentiæ memorabiles.

*De Pestilentia hic loquimur in genere, hoc est, de morbo epide-
mio: qui contagiosus est, & in multos simul eodem tem-
pore grassatur, qualiacunque symptomata habeat. Da- G
tur enim dysenteria, angina, colicus tudor, catarrhus
pestilens. Causas etiam nihil moramur, quales cumque fue-
rint, ex cœli influxu, aeris corruptione, terræmotu, fa-
me, quod frequentius est, & à Græcis affinitate vocabulo-
rum expressum.*

Observatione diuturna compertum est, Pestem ab Ortu ad
Occasum ferri. Si contra fiat, pestem ubique grassaturam omi-
nantur. *Jo. Bodinus c.* 5. *Hist. methodi.*

Decima Ægypti plaga, primogeniti omnes nocte una ab
angelo cæsi fuere. *Exodi* 10.

Israelitas pestilentia ob recensitum à Davide populum tri-
bus diebus ita afflixit, ut à Dan ad Bersabam 70. millia homi-
num perierint. 2. *Reg. c. ult.*

Sennacherib. Assyriorum Regis Exercitus cùm Hierosoly-
mam obsideret, angelus Domini una nocte 185. millia Assy-
riorum pestilentia immissa peremit. 4. *Reg.* 19. *& Josepb. l.* 10.
Antiq. c. 2. *ex Berofo* idipsum confirmat. Tradunt Hebræi,
decem tantùm ex tanto exercitu incolumes relictos. *D.
Hieron. l.* 4. *com c.* 10.

Gigantes, homines impii, & Deorum contemptores fue- H
re, cùmque deos esse negarent, fabulæ locum dedere, quod
cum diis bella gesserint. Eos ab Hercule Deorum antiquissi-
mo, hoc est, à sole (qui ἥρως καλὸς, id est, aeris gloria) immis-
sa pestifera lue interemptos Ægyptii affirmant. *Macrob. l.* 1. *Sa-
turn. c.* 20.

Amphionis Thebani Regis Familia tota pestilentia deleta
est. *Pausc. in Bœot.*

Ectenæ, populus Bœotiæ, cum Rege primo Ogyge pesti-
lentia periit, ita ut in eorum locum Hiantes, & Aones succes-
serint. *Pausc. in Bœot.*

Ægyptum ter gravis pestilentia invasit, cùm Nili rigua
pluviæ amara fecissent. *Plin. l.* 31. *c.* 14.

Chii cùm centum Juvenes Delphos misissent, sacrorum cau-
sa, duo tantùm redierunt, cæteris pestilentia absumptis. Omen
hoc fuit proculdubio ejus cladis, quam à Persis in pugna nava-
li ad Miletum acceperunt. *Herod. l.* 6.

Potnien-

Potnienses ob interfectum Liberi patris in temulentis
A suis sacrificiis sacerdotem pestilentia affecti, humanam
victimam cædere jussit Delphici Apollinis responso. *Pauf. in Bœot.*

Caphyenses pestilentia vexati, propter pueros lapidibus obrutos, qui circa templum ludentes, funiculo, quem repererant, Dianæ signum obligato collo per lusum trahentes, Dianam se strangulare dictitaverant. *Pauf. in Arcad.*

In Orchomeno cùm atrox debaccharetur pestilentiæ malum, plerosque hominum vis quidem grassantis morbi absumpsit: sed & Tiresiæ defecit oraculum. *Cæl. l.8. c.16. Antiq. Lect. ex Plut.*

Apud Babyloniam in Apollinis templo auream mirè vetustatis arculam quandoque inventam legimus, qua aperta vis pestilentis aeris non modò eos, qui aderant, infecit, sed longè, latèque grassata, etiam Parthos afflavit. *Cæl. l.8. c.12.*

M. Antonini, & Veri temporibus, apud Seleuciam post direptum templum, & perlatum Apollinis simulacrum Romam à Militibus Avidii Cassii inventum fuit angustum foramen, quòd prius Chaldæorum vates occluserant. Eo militari aviditate referato, atrox adeò vapor exiluit, ut funestum malum, ac teterrimum à Persarum
B finibus in Gallias usque furens sit debacchatum. *Ex Marcell. ex Cæl. ibid.*

Peste olim Lacedæmona divexante redditum oraculum, mali vim cessaturam, si nobilem virginem quotannis immolassent. Cùm obtemperarent Lacedæmonii, ac forte mactanda duceretur suo ornatu Helena, devolans aquila gladium abreptum, & ad armenta, quæ βοῦλαι vocant delatum, super juvencam demisit. Quo prodigio παρθενοκτονία, id est, virginum immolatio desist. *Plut. ex Aristodemo. Idem.* obvenisse Romæ in Valeria Luperca, ratione consimili, Aristides prodidit. *Lib.19. Rer. Italicar. Cæl. lib. 13. c.20. Antiq. Lect.*

Anno secundo belli Peloponnesiaci coorta gravis pestilentia. Eam ex Æthiopia primò egressam Ægyptum, quæ illi proxima est, mox & Libyam corripuisse memorant: in Lemnum inde, & loca finitima, demùm Athenas transgressam? Credidere ab initio Athenienses, puteos hostium fraude veneno corruptos. Vulgato morbo tanta funerum frequentia secuta est, quanta nunquam anteà hominum memoria. Primò acris fervor capitis salubria invadebat corpora: suffusio deinde ruboris, adustioque in oculis existere: statim lingua introrsum cum faucibus sanguinolentia visebatur, arctior in-
C de spiritus, & cum fœtido halitu meabat, mox sternutatio, raucitasque prorumpebat, ne diù post labor in pectus cum vehementi tussi descendebat: & cùm præcordiis hæsisset, ea graviter cruciabat: sequebantur guttæ fellis, & humoris, quæ à Medicis dicuntur apocatharses, & ipsæ cum ingenti cruciatu: plerique inanis singultus incidere, aerem spasmum cientes. Exterius interim corpus, neque fervidum tactu, neque pallidum, sed subrubrum, fuscum, minutis pustulis, ac papulis scatens: interius autem ita ardebat, ut neque perquàm tenuja vestimenta, aut findones, neque aliud quidpiam quàm nuditatem ferre posset. Jucundissimum erat in gelidam aquam seipsos immergere: quo contigit, ut plerique incustoditi in altissimos se puteos dejecerint, inexhausta siti adacti: quanquam perinde erat nimis, ac parcè bibere. Neque somnus interim, ullave membrorum quies aderat, neque morbo invalescente membrorum languor ullus sentiebatur, sed corpus opinione hominum par morbo resistebat. Plurimi intra septimum, & nonum diem, vitalibus ardore exustis, necabantur, adhuc aliquid roboris ha-
D bentes, nec si quis diserimen illud dierum evasisset, continuò pro servato haberi: nonnullis pereuntibus, utero vi grassantis morbi acriter convulso, languoreque ex ipso profluvio inducto. Pervagabatur universum corpus tetra lues, à qua aliqui perniciissima si quis convaluisset, quanta vis ejus esset, membrorum detrimenta demonstrabant: ad verenda manuumque, & pedum extrema morbi violentia prorumpebat, quibus amissis nonnulli servabantur, quidam, & oculis postremò capti sunt: nonnullos morbo servatos, omnium fermè rerum cepit oblivio: ut sui quidam ipsorum oblivisceerentur. Illud quidem memorabile, quòd cùm multa corpora insepulta jacerent, alites, quadrupedesque ea non attigerint: aut si quæ id temerè, fecissent, simul periere, manifesto argumento maleficii, & veneni, quod in morbo fuit. Accidit & aliud non minus mirum, & insolens, quòd uni proficiebat, officiebat alteri: quo evenit, ut cùm per incuriam multi periissent, alii non
E pauci nimis diligenti curatione sint absumpti, vulgari morborum ministerio, ita ut multæ domus vacuæ factæ sint. Plerique in viis destituti expirabant, circa fontes, & puteos multi aquæ desiderio semineces volutati, & hæc Athenis. *Livius.* anno postquam Aul. Posthumius dictator Volscos, & Æquos vicit, cujus dictatura incidit in primos Peloponnesiaci belli annos, ut *Gellius* colligit, tetterimo morbo, qui & ipse attactu vulgaretur, Romæ laboratum prodidit. Cæterum hoc genere, an diverso, non explicat, *Thucydid. auctor est*, eam eladem in Peloponnesum non attigisse. *Sab. l.6. Ennead.3.* De eadem audiamus quoque *Diodorum*. Bello Peloponnesiaco, inquit, gravissima pestilentia Athenienses exagitavit. Hyems humida admodum infestis fuit inundationibus. Pabulum inde propter nimium humorem vitiosum extitit, & incoctum. Tertia pesti causa accessit, quòd eo anno venti Etesiæ, qua soliti erant tempestate, minimè spiravere: quorum recenti flatu magna pars molestiæ fervoris æstivi remitti, temperarique solebat. Exacerbato igitque supra modum, sævienteque æstu, tum sole, æthereque inflammato, corpora mortalium nullo præsidio defendi, nulla respiratione recreari cùm possent, urentem præcordia trahere, spirareque halitum cogebantur: unde & morborum omnium genera, æstus intra venas concepti miseros exurebant. Inde multos ægrotantium traditum est, ultrò semetipsos in puteos, fonteque præcipitasse, co-
F natos eo remedio flammam intus sævientem, præcordiaque conficientem restinguere. Athenienses tantæ calamitatis causam ad Deos, religionemque retulere, & Delon insulam lustrari jussere: quæ polluta, violataque, idcireò putabatur, quod ad sepelienda expirantium cadavera, per nefas usurpari cœpta esset. Apertis itaque cunctis in Delo sepulchris, urnas omnes in insulam Delo proximam, cognomento Rheniam, transtulere: tum lege caverunt, ne cui parare, sepulchrumve defodere in Delo liceret: ludos item, & festa Deliorum prisca instauravere, quæ longo jam tempore obsoleverant. *Diodorus l.12.*

Bello Peloponnesiaco, cùm Pericles populum omnem ex agris in urbem congregasset, contra Lacedæmoniorum insultus, cum quibus aperto prælio decernere periculosum esse arbitrabatur: pestilentia gravissima Athenas invasit, cùm tempore æstivo multi unà, nullo discrimine, angustis in tectis, & tabernaculis coacti æstuosis, in umbra, & otio marcescent, qui ante in aere libero, & laxo consueverant agere. Cujus esse auctorem Periclem dictitabant, qui bello plebem intra muros rusticanam contraxisset, neque ullam ad rem tam multos viros adhiberet, sed sineret inclusos veluti pecora
G sociorum opes affligere sunt primo loco adorti, ut his fractis commodiùs rem Romanam, satis per se accesam, funditus perderent. Primo igitur omnium Hernicum, & Latinum agrum ferro, & igni populantur. Mox Romanos fines invadunt. Inde per omnia cultu desolata ad tertium lapidem consedere. Jam Ebutius Consul diem obiverat. Servilius ejus collega exiguâ spe trahebat animam. Juventus militaris morbo consecta jacebat. Vigiliarum munus, qui per ætatem, & insensam valetudinem poterant, per se obibant. Circuitio Ædilium plebis erat, ad eos consularis majestas venerat. Omnia humano præsidio deserta, unum affectæ civitati profuit, quòd prædonum mens magis quàm hostium tum Æquis, & Volscis fuit, qui potiundæ urbis spe abjecta, à ducibus postularunt, ut ex ea vastitate se confestim in ea loca adducerent, unde prædæ aliquid agi posset. Sublatis ita-
D que signis in Labicanos, Tusculanosque colles transiere. Supplicatum est omnibus templis. Matres passim stratæ crinibus templa verrebant, cœlestium irarum veniam, pacemque expolentes. Intereà graviore anni tempore acto, corpora morbis defuncta, salubriora esse cœperunt. Rediit cum salubritate ipsa Reipubl. cura. *Sabell. l.6. Enn.3.*

Anno 300. v.c. P. Curiatio, & Sexto Quintilio Consulibus, duo grandia mala Urbem invaserunt, fames, & pestilentia, omnium memoriæ ad id tempus traditarum maxima: urbs fu-
H neribus exhausta, & agri hominum, pecorumque strage penè desolati. Quintilius Consul mortuus est, cui Sp. Furius substitutus: mortuus Augur unus, & tres Tribuni plebis, Flamen unus Quirinalis. *Sab. l.4. Enn.3.*

Annos urbis 217. M. Corn. Maluginensi, & L. Papyrio Crasso Cos. pestis cum terræmotu Romam infestavit. Rursus anno 320. M. Fabio Vibulano, & M. Flossio Flaccinatore Cos. pestis cum fame. Pestis cum fame anno 341. Q. Fabio Ambusto, & Cn. Furio Pacillo Cos. per duos annos. Similiter ann. 361.

destituebant, sed frater fratrem, amicus familiarem ob suime-
A ipsius formidinem negligere cogebantur. Supra CL. millia eo malo pericre. *Diod. l.14.*

Circa Olymp. c. pestilenti febre Carthaginem invadente, multi Carthaginensium morbo acriter corripiebantur: ita ut de imperio suo pericliterentur. Siquidem & Lybes, & qui Sardonem inhabitabant, putantes se occasionem jam adversus Carthaginenses nactos, ab eis desciverunt. Erant quoque perturbationes, & metus magni in populo: repentini quidam cùm omnium stupore excitati tumultus frequenter per urbem, cùm minimè expectarentur, fiebant. Multi arreptis armis tanquàm hostes profligaturi, excurrebant, & ferrum in se invicem, tanquam in hostem quisque suum stringentes, mutuis cadebant vulneribus. Tandem placato numine sacrificiis, & à maximis malis liberati, Libybus rursus expugnatis insulam recuperaverunt. *Diodor. lib.15.*

Captis à Romulo Fidenis, pestilentia Romam invasit, quæ mortem subitam inferens non trahebat morbum. Vulgabatur & in fruges, pecudesque. Inde magna sterilitas orta. Sanguine quoque pluit. Ubi eadem Laurentes lues in-
B festavit, tum pro certo habitum, ob necem tam Tatii Regis, quàm legatorum jure non vindicatam, ultionem divinam utramque persequi civitatem. Deditis post homicidis, & supplicio utrinque affectis, perspicuè malum est mitigatum, lustravitque Romulus urbes expiationibus. *Plut. in Romulo.*

Romanæ mulieres, cùm sub Tarquinio Superbo propter annonæ caritatem gravidæ cogerentur vesci bubulis carnibus, & propterea pestilentia Urbem invasisset, Taurii ludi diis inferis instituti fuere. *Alex. ab Alex. l.6. c.19.*

Romæ pestis anno Urbis 248. M. Val. Volesio, P. Posthumio Tuberto Cos. Item cum fame, T. Geganio Macerino, & P. Minutio Augurino Cos. anno urbis 261.

L. Ebutio, & P. Servilio Cos. cœlum ardere visum, post v.c.290. Annus pestilens fuit. A Calend. Septembribus tetra vis morbi primò boum, equorumque armenta corripuit, inde ovium, caprarumque greges, pastores deinceps, & cæteros agrestes attigit: postremò Urbem ingressa. *Livius.* pecus populationis terrore intra mœnia compulsum, multam-
C que stabulantium quadrupedum colluvionem, prodidit humana corpora insolito fœtore infecisse, ac præter cæteram multitudinem, quæ tanta fuit, ut vulgò cadavera in Tybrim proiicerentur, quartam Senatorum partem morbo consumptam, & cum his Consules ipsos. Hæc clades in certam ipsm Volscos, & Æquos traxit Romanorum principatus per occasionem evertendi. Ictò itaque inter se fœdere, sociorum opes affligere sunt primo loco adorti, ut his fractis commodiùs rem Romanam, satis per se accesam, funditus perderent. Primo igitur omnium Hernicum, & Latinum agrum ferro, & igni populantur. Mox Romanos fines invadunt. Inde per omnia cultu desolata ad tertium lapidem consedere. Jam Ebutius Consul diem obiverat. Servilius ejus collega exiguâ spe trahebat animam. Juventus militaris morbo consecta jacebat. Vigiliarum munus, qui per ætatem, & insensam valetudinem poterant, per se obibant. Circuitio Ædilium plebis erat, ad eos consularis majestas venerat. Omnia humano præsidio deserta, unum affectæ civitati profuit, quòd prædonum mens magis quàm hostium tum Æquis, & Volscis fuit, qui potiundæ urbis spe abjecta, à ducibus postularunt, ut ex ea vastitate se confestim in ea loca adducerent, unde prædæ aliquid agi posset. Sublatis ita-
D que signis in Labicanos, Tusculanosque colles transiere. Supplicatum est omnibus templis. Matres passim stratæ crinibus templa verrebant, cœlestium irarum veniam, pacemque expolentes. Intereà graviore anni tempore acto, corpora morbis defuncta, salubriora esse cœperunt. Rediit cum salubritate ipsa Reipubl. cura. *Sabell. l.6. Enn.3.*

Anno 300. v.c. P. Curiatio, & Sexto Quintilio Consulibus, duo grandia mala Urbem invaserunt, fames, & pestilentia, omnium memoriæ ad id tempus traditarum maxima: urbs fu-
H neribus exhausta, & agri hominum, pecorumque strage penè desolati. Quintilius Consul mortuus est, cui Sp. Furius substitutus: mortuus Augur unus, & tres Tribuni plebis, Flamen unus Quirinalis. *Sab. l.4. Enn.3.*

Annos urbis 217. M. Corn. Maluginensi, & L. Papyrio Crasso Cos. pestis cum terræmotu Romam infestavit. Rursus anno 320. M. Fabio Vibulano, & M. Flossio Flaccinatore Cos. pestis cum fame. Pestis cum fame anno 341. Q. Fabio Ambusto, & Cn. Furio Pacillo Cos. per duos annos. Similiter ann. 361. L. Valer. Potito, & M. Manlio Capitolino Cos. quo tempore Æqui sunt victi.

Romæ pestilens annus fuit, L. Verginio & Claudio Julio Consulibus, tantaque ubique vastitas crebris funeribus est secuta, ut Vejentes, & Fidenates Anienem transgressi, haud procul à Collina porta consederint. Verginius Consul A. Servilium Priscum, alii Structum scripsere, Dictatorem dixit, & Dictatoris jussu omnis militaris ætas, extra portam Collinam, circa signa frequens affuit. Id hostes conspicati, in altiora se loca recipere conati sunt. *Sab. lib. 5. En. 3.*

C. Sulpitio Bætico, & C. Licinio Stolone Consulibus, Romæ intoleranda vis pestilentiæ orta est: quæ cùm infinitos arripuisset, ludorum instituendorum occasionem dedit. *Valer. Max. lib.2. cap.1. de Inst. antiq.*

Anno 419. T. Veturio Calvino & Sp. Posthumio Regillensi Albano Cos. pestilentia. Anno 440. L. Papyrio Cursore V. & C. Jun. Bruto Bubulco II. Cos. Anno 461. Q. Fab. Max. Gurgite, & D. Jun. Bruto Sæva Cos. pestilentiæ causa Æsculapius Romam vectus. An. 477. Q. Fabio Gurgite II. & C. Genutio Clepsina Cos. pestilentia.

A. Corn. Cosso & T. Quinto Pœno Cos. Romæ mira ficcitate laboratum, ut non cœlestes modò aquæ defuerint, sed terra ingenito humore penè amisso, vix ad perennes fluvios sufficeret. Exaruerunt torridi fontes, pecorumque siti morientium passim strages edita, pleraque scabie absumpta: vulgatique attactu in homines morbi, primòque in agrestes & servitia, mox & civitatem corripuit tetra lues: orta ex ea clade multiplex superstitio, ita ut non minus animi affecti essent, quàm corpora. Passim omnibus sacellis, vicisque peregrina, & insueta sacra fieri, multique sacrificuli tota urbe existere. Id partes indignè ferentes, negotium ædilibus dedere, ut diligenter adverterent, ne alio ullo in urbe ritu, quàm patrio sacra fierent. Meminit præter *Livium* cladis hujus, & morbi, quæ ea tempestate acciderunt, *Thucydides Peloponnesiaci belli auctor. Sab. l.5. Enn.3.*

In Gallorum castris, Roma capta, Capitolium obsidentibus non solùm frumenti inopia sentiebatur, sed & gravis pestilentia. Æstus, & torridum recenti incendio solum, quorum intolerandissima gens est, humori, & frigoribus assueta, Gallorum corpora languore affecerat: in-
G de morbo sensim vulgato, passim expirabant, tantaque vis hominum brevi absumpta est, ut humandi tædio, plura corpora in unum coacervata concremarent, quæ res ad posteros nomen loco dedit, ut Gallica sint busta nuncupata. *Sab. lib.1. En.4.*

Anno 566. M. Æmilio Lepido, & C. Flaminio nepote Cos. pestilentia. Scipio Africanus Linternum exulatum abit. Anno 572. P. Cor. Cethego & M. Bebio Pamphilo Cos. Pestilentia iterum. Ingauni Ligures victi, Corsica subacta.

Anno ab v.c.620. tanta locustarum vis in Africa repentè enata est, ut fruges, herbas, arborum folia, immensa multitudo absumeret. Ea mox ventorum flatu marinis fluctibus immersa, omnia latè litora projectarum acervi contexere. Putrefacta inde congeries tetrum odorem exhalavit, secutaque statim corrupto cœli tractu ingens pestilentia, quæ in Africa vastitatem fecit incredibilem, undecies centum millibus Numidarum, Aphronumque brevi tempore consumptis. At supra eam Barbarorum cladem Romanorum quoque multa millia extincta eadem pestilentia traduntur, qui tum fortè in Africa præsidii causa fuere. *Sab. lib. 9. Enn. 5.*

Sub Herode Rege gravissima pestilentia Hierosolymorum urbem afflixit, & maximam senatorum partem absumpsit, propter injustè cæsam ob veneficii, & adulterii crimina Mariannem reginam. *Joseph. l.15. c.11. Antiq.*

Nono Vespasiani anno lues tanta Romæ fuit, ut per multos dies in Ephemeridem decem millia ferè mortuorum hominum referentur. *Eusebius.*

Commodo imperante, Romæ tanta fuit pestis, ut uno die sæpe numero 2000. hominum absumerentur. Multi non solùm in urbe, sed etiam ferè sub omni imperio Romano peribant, cùm malefici homines rex oblitas venenis in alios conicerent. *Dion. Nicæus, & Xiphilinus.*

Gallo imperante, perniciosa pestis undiqs viguit. Tabis initium fuit ab Æthiopia, fortè ex nimio Solis ardore. Pestis primò consumptis meridianis, per Orientem divagata est: inde cæteras orbis partes invasit, ubique maximam partem incolentium exhausit, pleraque loca inhabitata reliquit. Ea labes vix intra decem annos finem invenit. Provenisse ex infelicibus

Galli

Galli Imp. auspiciis visa est, ut qui proditione imperium ar-
A ripuit, Christiani etiam dogmatis hostis. A quo tristi, & insusi-
tato malo *Cyprianus* argumentum sumpsit *libri de Mortalita-
te. Eusebius l. 7. cap. 21.*

Sub Maximini, & Diocletiani imperio an. 312. post famem
gravissimam, pestis in singulas domos, & ætates horrenda sæ-
vit, eos præsertim absumens, quos propter alimentorum co-
piam fames absumere nequibat. Quæ scilicet præmia erant
jactantiæ Maximini, & edictorum, quæ per civitates contra
Christianos publicaverat. *Eusebius l. 9. cap.* 8. Ulcera erant
carbunculorum similia: quæ toto dispersa corpore ægrotos
in magna pericula conjecerunt, præcipuè autem in oculis sæ-
vientia, omnis generis, sexusque homines extinxerunt. *Sigon.
l. 2. Imp. occid.*

Narrat *Nicephor. l. 15. cap.* 10. in gravissima peste sub
Martiano Imp. Agros per annum integrum coli nequivis-
se: ideòque nec fruges provenisse. Divinam igitur pro-
videntiam illis, qui perrari ex ea supervixissent, alimen-
to quodam aerio prospexisse: proximo autem anno, ut
sua sponte citra culturam fruges provenirent, miraculosè
effecisse.

B *D. Hieronymus in Joelem* inquit: Nostris temporibus vidi-
mus agmina locustarum terram texisse Judæam: quæ postea
misericordia Domini inter vestibulum, & altare, hoc est, in-
ter Crucis, & Resurrectionis locum, facerdotibus, & populis
Dominum deprecantibus, atque dicentibus: Parce populo
tuo: vento furgente, in mare primum, hoc est, in mare mor-
tuum, & novissimum, hoc est, illud, quod ad Occidentem
est, & quod ducit in Ægyptum (in cujus litore sunt Gaza,
Ascalon, & Azotus) projectæ sunt. Cumque litora utriusque
maris acervis mortuarum locustarum, quas aquæ evomue-
rant, implerentur, putredo earum, & fœtor in tantum noxius
fuit, ut aerem quoque corrumperet, & pestilentia tam jumen-
torum, quàm hominum oriretur.

Anno Sal. 532. qui fuit Imperii Justiniani quintus, novum
pestilentiæ genus Orientem invasit, à Græcis bubonis, à
Latinis inguinariæ dictæ, quæ orta in Æthiopia, sensim in-
de totum terrarum orbem pervasit, quibusdam civitatibus
ita prostratis, ut prorsus exhauserit: quibusdam verò ita
affectis, ut afflatu tantùm ipso terruerit, nulla certa ratione
neque in adoriendo, neque in dimittendo servata, nam
C alios ineunte hyeme, alios senescente vere, alios adulta
æstate, aut autumno invasit, atque in quibusdam oppidis
domos omnes attigit, inquibusdam nonnullas, quæque fa-
miliæ priore anno integræ fuerunt, solæ sequenti contabue-
runt, quin etiam sæpe, qui ex infectis urbibus evadebant,
postquam inter sanos venissent, soli peribant. Neque verò
eadem omnes ægritudo tentavit, in quibusdam enim morbus
à capite incipiens, oculos sanguine, & faciem tumore afflic-
tiebat, deinde ad guttur accedens, vitam eripiebat, alii ven-
tris profluvio interibant, in alis bubones erumpebant, &
febres vehementes accedebant, nonnulli biduo, aut triduo
sana mente moriebantur: nonnulli verò de potestate deiicie-
bantur, erant, qui semel affecti iterum incidebant, aliis mor-
bum consuetudo attulit, aliis attactus, aliis solus foris adi-
tus. Quin etiam quidam integri proximis exitium importa-
bant, alii licèt cum ægris, mortuisque versati, morbum tamen,
licèt cupientes nancisci non poterant. Atque hanc tanta ma-
lorum varietate his morbus posterioribus quibusdam sæpius
revocatis, homines in plurimos post annos miserè laceravit.
Sigon. l. 17. Imp. occid.

Ante Justiniani Imp. excessum, & Longobardorum ir-
ruptionem, novum Italiam morbi genus incesit, quo per con-
D tagionem, vulgato, non integræ solùm stirpes, atque fami-
liæ, sed civitates quoque frequentes evertebantur, hæc ingui-
naria, ac bubonis pestilentia nominata. Apparebat scilicet,
ut scribit Paulus, ex improviso labes quædam in oculis, va-
sis, & vestimentis, quæ nulla ratione diluti, aut ulla deleri
arte poterat. Nascebantur autem in inguinibus hominum,
atque aliis mollioribus corporis partibus glandulæ, magnitu-
dine nucis, quas mox subsequebatur febrium intolerabilis
æstus: quibus qui inciderant, haud facile diem tertium supera-
bant, triduo transacto, ipes aliqua incolumitatis obiiciebatur.
Ea de causa urbes, agrique aut morte hominum exhauriebam-
tur, aut certè fuga deserebantur, cùm sibi, ut in tantis ma-
lis, pro se quisque consuleret. Si quis autem fortè studio
charitatis incentus propinquum amicum mandare sepulturæ
veller, mox ipse eadem calamitate oppressus, à proximo
relinquebatur insepultus. *Sigonius lib. 1. Regni Ital. & l. 20.
Imp. occid.*

Anno 31. Justiniani Imp. Constantinopoli adeò pestis est
grassata, ut cadavera per triduum insepulta jacuerint, ad E
ea efferenda non sufficientibus fandapilis. Ideò Imperator
aliàs ero. consecit: cumque ne hæ quidem satis essent, plu-
rimos currus jussit apparari, jumentaque innumera dedit ad
eam rem. Peste autem intendente, pleraque cadavera inli-
tus projecta, ad sextum diem inhumata jacuerunt: quod
vivi iis sepeliendis non sufficerent, neque naves iis transve-
hendis. Sæviit illa pestis menses duos, Julium, & Augustum.
Cedrenus.

Sub Pelagio II. Pp. ex frequentibus pluviis tanta inundatio
Romæ facta est, ut urbis muros transcenderet, & magnam
bestiarum multitudinem, maximè serpentium, cum terri-
bili dracone, secum traheret. Secuta est pestis per totam
Italiam, ex qua Pelagius obiit, anno Christi 590. *Platina.
Sigebertus.*

Anno Domini 654. imperii Constantis XI. cinere pluit,
Constantinopoli ignis de cœlo decidit, & pestis gravissima
tribus æstivis mensibus grassata est. Cunctis visibiliter appare-
bant bonus, & malus angelus noctu civitatem circuire: & quo-
ties jussu boni angeli malus angelus venabulo, quod manu
ferre videbatur ostium cujusque domus percussisset, tot ex ea- F
dem domo sequenti die interibant. *Sig. in Chron. & P. Diaco-
nus l. 19. rerum Rom.*

Anno Domini 682. paulò post Synodum sextam universa-
lem, Constantini decimoquarto, Solis eclipsis facta est, &
altera lunæ, penè eodem tempore, quam sequuta est gravissi-
ma pestis ad menses tres, Romæ & Ticini. Narrat Regino,
bonum, & malum angelum oberrare visos, & hunc ex illius
præscripto venabulo toties pulsasse fores, quot mori deberent
ex eadem domo. *Ivo in Chronico, Palmerius, P. Diac. l. 6. c. 2.
de Gestis Longob.*

Sub Leone Isauro Imp. cùm Saraceni Asiani, Zulemone
Admirato duce, Constantinopolim triennali obsidione classe
ingenti cinxissent, tandem fame pesteque discedere coacti sunt
E Constantinopolitanis ad ccc. millia peste periere. *Volater. l.
23. Anthrop.*

Leutheris, & Buccellinus fratres, genti Alemanorum Theo-
baldo Francorum regi subjectæ præfecti: in spem adducti, fo-
re, ut Gothorum ope Italiam, ac Siciliam occuparent, cum eis
petentibus fœdus, rege non prohibente, fecerunt, atque ad id
exercitum hominum septuaginta duorum millium ex Francis G
Alemanisque conflarunt. Leutheris præda onustus consilium
domum redeundi cepit, ac Buccellino fratre relicto, discessit.
Ubi is Venetiam pervenit, & Cenetam Urbem suæ tunc di-
tionis tenuit, exercitum pestilentia invasit. Leutheris propte-
rea insania correptus, atque in rabiem versus, postquam den-
tibus carnem sibi dilaceravit, & manantem ex vulnere sangui-
nem degustavit, extinctus est: reliqui omnes aut æstu febris,
aut dolore capitis, aut apoplexia, aut mentis excessu agitati
perierе. Buccellinus à Narsete ad Capuam cum toto suo exer-
citu est deletus, nam ex Francis quinque tantùm ex xxx. mil-
libus elapsi, ex Romanis vix octoginta desiderati, qui primam
in hostem impressionem fecerant, flumen refertum cadaveri-
bus exundavit. *Sigon. l. 20. Imp. occid.*

An. sexto Constantini Copronymi, pestis in Sicilia, & Ca-
labria orta, per Græciam, & insulas vicinas, tandem Constan-
tinopolim pervenit. In vestibus, & velis, cruces plurimæ, velu-
ti ex olco designatæ, conspiciebantur. Multi mente turbati,
videbantur sibi videre peregrinos homines truculento vultu
domos ingredi, hominesque aut vulnerare, aut eliceretac ple-
rumque respondit eventus. Nam lues ista plenas domos eva-
cuavit, tantaque fuit multitudo morientium, ut omnibus
monumentis in urbe, & suburbio completis, cisternæ, lacus, H
vineæ, & horti sepulcra fierent. Anno Dom. 748 juxta Sigeber-
tum. *Sigon. l. 3. regni Ital.* habet an. 746.

Anno Christi 760. cùm Constantinus Copronymus Con-
stantinopolim expugnasset, cùm peste civitas esset exhausta.
Imperator ex Hellade, ex insulis, & ex aliis locis novos colonos
in urbem introduxit, eamque populosam effecit, ann. Imperii
15. *Paulus Diaconus l. 22. rerum Roman.*

Anno decimo Bitrichi, occidentalium Saxonum regis, qui
fuit circiter annum Sal. 788. visi sunt flammei dracones in
Anglia volitare per aerem: quod signum pestis sequuta
est, fames prævalida, & infestatio Danica. *Rami. l. 5. c. 28.
Polichor.*

Sub Michaele Parapinaceo Imp. nemine providente publi-
cis commodis, fames urbanos pressit, ut publica calamitas
manifestè deploraretur, cùm interim Imperator literis exerce-
retur, ac jambos à Psello conficere doceretur. Ad hæc accessit
crude-

crudelissima pestis, qui tot homines conficiebantur, ut à vivis
A sepeliri non possent, ac plurimi sæpe uno in lecto efferrentur, E
multique in viis insepulti jacerent passim. *Cusp.*

Leontio Imp. Constantinopoli Noresium portum emun-
dante, bubonis pestis urbis incubuit, & quatuor menses mul-
tos de plebe extinxit. *Paul. Diac. l. 20. rerum Rom.*

Anno Sal. 819. propter juges pluvias, & hominum, & boum
pestilentia longè latèque grassata est, per totum regnum Fran-
corum. Frumenta, & legumina vel colligi non poterant, vel
collecta computrescebant. Vinum etiam acerbum, & insuave
fiebat. In quibusdam locis nihil frugum ante vernum tempus
seminari potuit. *Annal. Franc.*

In Burgundia circa solstitium æstivum crusta glaciei longa
pedes quindecim, lata septem, alta duos, de cœlo ruit: pestis
per totam Franciam grassata est. *Sig. anno* 824.

Sub Carolo Calvo, & Carolo Crasso dira lues in boves sæ-
viit maximè circa Rhenum, ubi in agro Vangionum, haud
procul ab Ingelheim, in pago Vvalsheim canes villatici om-
nes ad cadavera lanianda convenerunt. Deinde uno die, una
simul cohorte, ex iis finibus migrarunt, nec vivi, nec mortui
cujusquam vestigium posteà inventus est, an. Dom. 878. *Sige-
bertus, Honorius. Aventinus l. 4. Annal.*

Anno Sal. 1006. pestis grassata est per totum penè Orbem,
B ut sepelientium tædio, vivi adhuc spiritum trahentes obrue- F
rentur cum mortuis. *Sigeb. in Chron.*

Bonifacio IV. Pp. pestem, famem, & aquarum inundatio-
nem passim afflixisse mortales, testatur *Harmannus Schedel-
lius, & Joan. de Oppido.*

Annum 1094. pluviosum vocari, eo quòd ab idib. Octobr.
in mensem Aprilem, perpetuis maduerit imbribus, ac gra-
vissimam mox subsecutam pestilentiam, *in Flandriæ Chron.
Jacobus Meyerus* annotat.

Bella intestina inter Francorum Reges sub Chilperico, sæ-
vissima lues dysenterica comitata est, quæ totas ferè Gallias
occupavit. *Gregorio Turonense testis lib. 4. cap.* 33. Quo
morbi genere periit Austrigildis, impia Guntranni Regis
uxor: & Nantinus comes, Ecclesiasticorum hostis, &
persecutor.

Pestis maxima, & fames tanta Germaniam simul af-
flixere, ann. Christi 1125. ut tertia pars hominum inte-
riisse credatur, & vix, qui cadavera sepelirent, superstites
fuerint. *Cusp.*

Anno 1188. quo tertium bellum sacrum, Gregorio IIX.
C Pap. cohortante suscepturn fuit, annona, ac pestilentia pa-
riter gravissimè laboratum, multis vulgò morientibus, aliis
stirpium radicibus vix se præ victus inopia sustentantibus. *Si-
gon. l. 15. regni Ital.*

Ceperant Latini Antiochiam Syriæ metropolim, in ea
expeditione sacra, cujus auctor fuerat Petrus Eremita,
& centum millia Persarum, Corbana duce fuso, fugato-
que, interemerant. Victoria opulentissima, ex summa
inopia cunctarum rerum, incredibilem copiam omnis ge-
neris divitiarum, non ad necessitatem modò, sed etiam
ad delicias, luxumque attulerat. Nemo egens, beati om-
nes, locupletesque fruebantur præsentibus bonis, pristi-
num quoque desiderium abunde, affatimque explentes. Ex
hac repentina, præcipitique in contrarias partes mutatione
cultus, victusque, sive alia causa, coorta pestilentia,
quinquaginta circiter Latinorum millia absumpsit. *Æmil.
lib.* 4.

Damiatam Ægypti urbem nobilis. Christiani Latini arcta
premebant obsidione plusquam annua. In hostes gravissima
pestilentia grassabatur. Latini ejus mali ignari, cùm insolen-
D tiam hostium in muris admirarentur, scalis admotis eam pro-
pugnatorius vacuam cepere. Ex septuaginta millibus Ho-
stium tria tantùm millia puberum (nam infirmior ætas, ac re-
liqui omnes absumpti miserrimo fati genere, fame, pestilen-
tiaque jacebant insepulti) inventa: & hi affecti quoque, vita
donati ea lege, ut urbem purgarent, Anno MCCXIX. nonis
Novembribus capta est. Præda ingens parta auri, argenti,
gemmarum, margaritarum, preciosæ vestis, supellectilisque.
Æmil. l. 6.

Sub Henrico V. Imp. crudelissima pestis adeò in homines
desæviit, ut credatur tertia pars Hominum interiisse, & vix af-
fuisse homines, qui cadavera sepelirent. Qua etiam Calixtus
II. Pontifex obiit. *Cusp.*

Obsidente Henrico VI. Imp. Neapolim anno 1191. per
Junium mensem cœlo, propter immensos calores, graviore
atque insalubriore effecto, sæva Exercitum pestilentia est ad-
otta: quæ cùm majorem partem militum absumpsisset, Hen-
ricus est in maximam rerum, consiliorumque difficultatem
adductus. Auxit etiam terrorem Sol, qui IX. Kalend. Julias E
furente pestilentia per aliquot horas mirificè est obscuratus.
Quam rem insignem aliquam principibus plerumque portendere calamitatem, vulgari hominum observatione compertum est. Itaque post tres menses Neapolis ab obsidione liberata. Fama tenet, ipsum quoque gravi fuisse morbo tentatum. *Sigon. l. 15. regni Ital.*

Sub Philippo Longo Francorum Rege, circa an. 1320. pestilentia ingens exorta, Fama tenet, Judæos, quos è Francia exegerat Philippus Pulcer, ab Ludovico Hutino filio mox Rege receptos: & ut pristinum exilium suum bonaque direpta ulciscerentur, & priori similem rebus suis fortunam præmetuentes, ab Regibus præterea, satrapisque Turcarum, Saracenorumque pecunia accepta, elephantiacis, qui stipe mendicanda vagi victitarent, persuasisse, ut venena in puteos spargerent. Horum quamplurimi comprehensi. Quæstione habita, de confessis supplicium sumptum. Nihilo secius vis morbi jam visceribus insidens, multos Mortales absumpsit. *Æmil. l. 8.*

Ann. Sal. 1342. terræ motu Venetiæ gravissimo sunt concussæ. Successit fames, hinc pestilentia ab extremo septentrione per totum orbem grassata. Funeribus sic exhausta est Venetorum civitas, centesimo quoque vix evaden- F
te, ut ad multitudinem refarciendam, necnon & ad tollendam vastitatem, quæ civitatem magnopere deformabat, lata sit lex, ut quicunque Venetias habitandi causa per id tempus migrasset, fuissetque ibi totum biennium, pro cive haberetur. *Sab. l. 8. En. 9. & l. 3. Dec. 2.* Quinetiam dux ipse non multò post obiit, anno 12. pertracto: & ne quod malum deesset, Marinum Falettrum, tyrannidis affectorem, successorem habuit. *Egnat. l. 6. c. 7.*

Anno Sal. 1348. capto ab Anglis Rege Scotorum Davide, pestis per totam Scotiam sæviit, ut tertiam partem populi absumperit. Et secunda hæc fuit pestilentia, quam Scotia viderit. *H. Boethius l. 15.*

Comes Douglas sub Roberto II. Scotorum Rege in Angliam irrumpens, cum viginti militum millibus Pennyr nundinarum tempore dirupit: maximamque prædam abducens, pestilentiam quoque attulit: quæ duobus deinceps annis quanta nunquam anteà clade Scotiam affecit. Numeratur-que hæc tertia, ex quo primùm visa in Scotia fuit, anno Sal. 1380. *H. Boethius l. 16.*

Circa an. Sal. 1464. sæviit pestis gravissima per Vandalicas G
urbes, refugiens omnem opem medicam. Ipsius naturæ beneficio pauci superavere vim veneni. At si manus medentis accessisset, illicò furens venenum, atrocius in omnem partem corporis sæviebat. Multæ hominum myriades brevi perierе. *Crantz. l. 12. Vandaliæ c. 31.*

Circa an. Sal. 1424. Russorum urbem clarissimam Nonguardiam tanta lues invasit epidemiæ, ut intra sex menses octoginta hominum millia perierint, tanta celeritate, ut ambulantes in plateis mox conciderent, & ad sepulcra mortuorum, qui sani tumulandis aliis advenerant, cum mortuis mortui tumularentur. Auxit aeris corruptionem multitudo insepultorum cadaverum. *Crantz. l. 11. Vand. cap.* 5.

Florentiæ anno à Virginis partu MCCC. pestis triginta hominum millia absumpsit.

Anno 1438. Genuam pestilentia invasit, Pisis advecta. Nam cùm miles quidam inde profectus, clàm Genuam venisset, ac servam, cui assueverat, contactu infecisset, illa in muliercularum grege, & obversata, quarum pleræque lactantes sinu gestabant infantes, morbum in proximas vulgavit. *Jacobus Bra- H
cellus l. 4. belli Hispanici.*

Parisios adorta pestis, anno Salutis. MCCCLXVI. ad hominum quadraginta millia occidit. *Ritius Neapolit. l. 3. Francorum Regum.*

Anno 1529. novum morbi genus Germaniam invasit. Sudore pestifero correpti homines, intra vigesimam quartam horam aut exhalabant animam, aut, si virus exudassent, valetudinem paulatim recuperabant: & prius quàm de remedio constaret, multa perierunt millia. Malum hoc inde ab Oceano per omnem propè Germaniam pervasit, brevissimo temporis spacio, & incredibili celeritate velut incendium aliquod longè latèque depascebat omnia. Vulgò dicitur morbus Anglicus Nam Henrici VIII. Britanniæ Regis anno primo, qui fuit an. Sal. MCCCCLXXXVI. eadem lues Angliam invasit, & quoniam in re nova remedium erat incognitum, ingentem hominum stragem edidit. *Surius in comment.*

Anno

Anno 1500. Londini in Anglia peſtis plus quàm triginta
A millia abſumpſit. *Polyd. l.26.*

Sub Clemente VII. peſtis adeò triennio totam Italiam pervagata eſt, ut vix decimus quiſque ex milleſimo homine ſuperſuerit, cùm ob Jubileum contagione hominum undique Romam commigrantium, ſqualore, ſitu, pedore, omnia inficerentur. *Platina.*

Anno Chriſti 1528. peſtilentis morbi lues diffuſa per omnes Italiæ regiones, tertiam ferè mortalium partem abſumpſit, deficienteque paſſim annona, quæ immenſo precio cunctis in urbibus creverat, multi, inopeſque præſertim, inſolitis utentes cibis, contracta tabe ſenſim interierunt. *Jovius l.26. Hiſt.*

Graviſſima fuit peſtilentia illa, quæ noſtris temporibus anno Chriſti 1564. Germaniam primùm, deinde etiam Galliam pervagata eſt. Baſileæ nulla domus fuit, quam non lues iſta corripuerit. Paulò remiſſior illa, quæ 82. Rheni tractum ſecula Baſileam invaſit.

☞ *Vide Locum de peſte, Fulmine, Tempeſtate.*

☞ *Ex Tit. Fulminatorum huc quædam.*

Phlegiarum gens ob direptionem templi Delphici Apollinis crebris fulminibus, & telluris vehementiſſimis moti-
B bus funditus ferè deleta: qui reliqui fuere, eos peſtilentia abſumpſit, præter pauços, qui in Phocidem effugerunt. *Pauſanias in Bœoticis.*

Primo anno Leonis Iſauri, Saraceni partim in Thraciam, partim in Hiſpanias irruerunt. In Thraciam Zulemon Saracenorum Aſiaticorum dux trajecit cum claſſe navium trecentarum, ut *Sabellicus Ennead. 8. l.7.* aut octingentarum, ut *Paulus Diaconus l.21. rerum Roman.* aut mille, ut *Blondus l. 10. Decad.1.* aut trium millium, ut *Cuſp.* Maſalmas etiam cum exercitu per Abydum irrupit: & poſteà Gizid ex Africa navis trecentas, & ſexaginta bene inſtructas adduxit. Vaſtarunt caſtella Thraciæ, & Conſtantinopolim obſedere. Sed Imperator igniferis navibus ab Atropoli emiſſis, pleraſque hoſtium naves incendit. Hyems etiam aſperrima equos, & camelos, & homines confecit. Zulemone mortuo, Ægyptiæ naves cum frumento Conſtantinopolim venere, ab hoſte deficientes. Fames in Saracenos adeò graſſata, ut equos, & aſinos, & camelos cogerentur edere, & homines mortuos, & propria ſtercora in fornace nonnihil toſta: plurimi etiam peſte interierunt. Cùm in Bulgariam prædatum excurriſſent, triginta
C duo millia, juxta Sigebertum (Paulus tantùm viginti habet) amiſerunt. Reliqui cùm triennium Conſtantinopolim obſediſſent, juxta Bedam, Regionem, & Ivonem (licèt Paulus Diaconus ſecundo anno Leonis, ſolutam obſidionem indicet, & Blondus biennium tantùm aſſignet) re infecta navibus diſcedentes, tempeſtate, atque grandine ignea perierunt omnes, præter decem, quarum quinque à Romanis interceptæ, quinque in Syriam penetravere. Atque ita divinitùs Saraceni repreſſi ſunt, qui totum imperium Romanum ſpe jam devoraverant. An. Dom. 720. juxta Sigebertum.

Incendio.

☞ *Ex Tit. eorum, qui Igni periere, huc quædam quatenus, multi ſimul occumbunt.*

In turri Sichem mille Homines ſubjecto igne cremati fuerunt. *Judic. l.9.*

Inundatione.

☞ *Vide Tit. Inundationum, quatenus Fortunarum damna Mortes hominum conjunctas habent. Hic reſpectu eorum, qui ſimul pereunt.*

Anno 1020. Albis, & Viſurgis redundantes, Saxoniæ amnes, damna multa intulerunt accolis: fecuta eſt peſtis, qua ex-
D tinctorum corpora ſerpentibus plena, non ſine tædio, terræ mandabantur. *Chron. Saxon.*

Bruno dux cum exercitu Saxonum, Danos ab incurſione repellens, inundatione repentina obrutus, cum omni exercitu periit, relinquens fratri Othoni Magno ducatum. *Cuſp.*

Naufragio.

☞ *Vide Tit. Naufragiorum. Illic Navium corruptarum, hic Hominum ſubmerſorum ſimul habetur ratio.*

Epicles Spartanus quinquaginta navibus ad montem Atho vehebatur. Repentè tempeſtas tanta extitit, ut navigia cuncta naufragio diſcerpta perierint, atque ex omni virorum numero ad duodecim ſoli periculo ſuperfuerint. *Diod. l.15.*

Mardonius Gobriæ F. Darii gener, ex Helleſponto claſſem Achantum miſit: quæ ex Acantho ſolvens, dum Athon circumvehitur, Aquilo vehementer in eam irruens, navium
A pleraſque in Athon perpulſas, ad trecentas afflixit, ut ſupra viginti millia Hominum interierint: partim à feris raptis, partim quòd natare neſcirent, partim quòd petris alliſi (nam fæviſſimum circa Athon eſt mare) partim gelu abſumpti, *Herodot. l.6.*

Perſarum xx. millia circa Athon montem in Macedoniæ ora periere naufragio violento. Aquilonis flatu diſiecta ea claſſe, quam Darius Perſarum Rex in Græciæ perniciem armaverat. Sicuti altera, quam Xerxes longè majorem Græciæ immiſerat, non minore cum ſtrage Chalcide ab Helleſpontia vento afflicta eſt: ut pro libertate Græcorum ipſa elementa depugnare viderentur. *Herod. l.7. & Strabo l.9.*

Nullius caſus, cladiſve Rom. memoria atrocior, ac proinde minùs debilis, quàm Siculi naufragii, quod in decimum annum incidit primi belli Punici, M. Æmilio, & Fulvio Nobiliore Coſſ. qui inter Canis, & Orionis ſigna importuoſam Siciliæ oram legentes, ſubita tempeſtate CCCXXCIV. naves amiſere. Jacuit litus inſtratum cadaveribus, & naufragiis, ut nulla hominum memoria major credatur jactura in mari accepta. *Sabell. l.10. c.5.*

Naves Arabum Saracenorum, quæ cum Haumaro ad obſidionem Conſtantinopolis, Leonis Iconomachi Imp. tempore remanſerant, XV. Auguſti die, magno cum dedecore domum diſcedere conatæ, immiſſo divinitus turbine partim ad Perconneſum, partim ad Apoſtrophos, & reliqua littora ſubmerſæ ſunt. Superſtites cùm in mare Ægæum perveniſſent, ignea grando immiſſa ebullire mare fecit: ac pice liquata, ſolis quinque navibus in Syriam perlatis, reliquæ omnes cum vectoribus perierunt, potentiam Dei noſtri teſtatæ. *Cedrenus.*

Hothebrotus Svecorum Rex ad rebelles Danos domandos claſſe navigans, tempeſtatis vi in mari periit. *Jo. Magnus l. 2. c.18.*

Ericus Pomeranus, Danorum Rex, rebellantes Sveeos ad officium redigere volebat. Exorta graviſſima tempeſtate, una grandis navis ſolvitur: centum ac ſexaginta Virìs demerſis, pauci enatavere. Navis prætoria quaſſa, dum Rex in ſcapham deſcendit, cum vectoribus in conſpectu Regis ſubmerſa fuit. *Cranz. l.5. Sveciæ, cap.36.*

Submerſione.

Mortuo Magone Tartarorum Rege, Haalon ejus frater à
Syria, quam jam ferè ſubegerat, ad occupandum regnum fe- G
ſtinans, nuncio accipit, Cobillam fratrem regnare, & Barchen alterum fratrem infeſto exercitu ſe petere. Ubi in conſpectum venere acies (annus is fuit Sal. hum. 1260.) forte quadam concurſum eſt in alveo fluminis (nomen Haytonus Armenus non ponit) glacie concreto. Hic medio pugnæ ardore ſoluta eſt glacies vehementiore ungularum attritu, abſorptaque cum ſuis equis ad triginta millia hominum utriuſque exercitus, ſicque marte neutro inclinante, ingenti tamen clade utrinque accepta, diverſæ inde abierunt acies. *Sab. l.7. Ennead.9.*

Prælio terreſtri, Vi aperta.

☞ *Conſule Tit. Victoriæ cruentæ, illic victoriæ, hic calamitatis, & Mortium habetur ratio. Item, In acie cæſi, illic Functionis ſingulorum habetur ratio: hic Deleti exercitus.*

Dicæarchum Peripatericum, virum doctum, & totius memoriæ antiquitatis peritiſſimum, collegiſſe ſcribit Cicero omnia cladium genera, quibus unquam humanum genus eſſet afflictum, peſtes, fames, eluviones, incurſus beſtiarum, terræmotus: & ex altera parte poſuiſſe bellorum injurias: has verò oſtendit plures homines abſumpſiſſe, quàm reliquas omnes, & tamen nondum tot bella, tanta continuatione, tot locis, H
tanto furore erant geſta, quàm fuerunt poſt illum: nondum cognita erat bombarda, Satanæ inventum. *Ludov. Vives de Concord. & Dioſcord. l.2.*

Madianitæ omnes ad internecionem ab Iſraelitis cæſi, (exceptis ſolis virginibus) inter quos quinque Reges illorum fuere, Evis, Regem, Sur, Hur, & Reba: item Balaam Beſor F. vates, qui Iſraelitas fauſtis ominibus proſecutus fuerat. *Numer. 31.*

Sehon Rex Amorræorum, cùm Iſraelitis tranſitum per ſuam terram concedere nollet, ab iis cum omni ſua gente ad internecionem cæſus eſt. *Deuter. 2.* Sic etiam Og Baſan Regem, qui unus ex gigantum reliquiis ſupererat, cum toto exercitu deleverunt, & oppida ſexaginta, præter ingentem numerum pagorum, ceperunt mulieres, & impuberes omnes à ſtirpe exciderunt. *Deut. 3.*

Ama-

Amalechitæ ab Iſraelitis ſub Rege Saulo ad internecionem
A deleti ſunt ab Hevila uſque ad Sur contra Ægyptum: eò quòd 400. antè annis Iſraelitas ex Ægypto egreſſos in itinere infeſtaſſent. Rex eorum Agag captus, à Samuele Propheta Galgalis in fruſta fuit diſſectus. 1. *Regum* 15.

Jephte Galaadites Iſraelitarum judex, XLII. millia Ephraimitarum adverſus ſe inſurgentium, quòd eos ad belli adverſus Ammonitas ſocietatem non vocaſſet, prope Jordanem voce Siboleth proditos, interfecit. *Judic. 12.*

Propter uxorem Levitæ fuerunt occiſa ſupra ſexaginta quinque millia Beniamitarum, præter mulieres, & parvulos, exceptis ſexcentis, in tribus reparandæ ſeminarium ſervatis. *Judic. 20.*

Sub Heli judice, quando fuit capta arca Domini cecideruntex Iſraelitis triginta millia peditum pugnatorum. 1. *Regum* 4.

Phinees cum duodecim millibus debellavit Madianitas. Præter viros, & mulieres cæſas, triginta duo millia virginum in præda fuerunt, animalium maxima multitudo. *Num. 31.*

Siſara dux exercitus Jabin Chananæorum Regis, Haſor regnantis, DCCCC. currus ferreos contra Iſraelitas armarat. Verum à Barac Abinoam F. & XII. Nephthalenſium, &
B Zabuloniorum millibus fugatus, Exercitus ejus ad internecionem cæſus, ipſe à Jaele Hebris Cenei (qui ex cognatione erat Habobi ſoceri Moyſis) uxore hoſpitio ſuſceptus, clavo per tempora adacto, necatus eſt. Et deinceps Jabin ſenſim everſus eſt. *Jud. 4.*

Gedeon judex Hebræorum percuſſit quatuor reges Madianitarum, Oreb, Zeb, Zebee, & Salmana: interfecitque ex eorum exercitu CXX. millia hominum apud Jordanem nocte una. *Joſephus lib. 5.*

David Rex, Moabitis devictis, tertium quemque incolumem dimiſit, reliquis interfectis. Adarexer Sophenæ Regem cum XX. millibus peditum, & MDCC. equitibus delevit. Adad Damaſci Regem cum XXII. millibus occidit. Revertens in valle Salis Syrorum XIIX. mil. & apud Gebel XXIII. millia interfecit. 2. *Reg.* 8.

Pekah Rex Iſraelitarum, Hieroſolymam obſidens, Judæorum eruptionem facientium CXX. millia occidit, & ingentem prædam abduxit. *Joſephus lib. 9. Antiq. cap. 13. ex 2. Par.* 28.

Abia Rex Juda occidit uno die de exercitu Jeroboam Regis Iſraelitarum quingenta millia. 2. *Paral.* 13. *& Joſeph. l.8.*

Aſa Rex Juda habuit in exercitu ſuo DXXC. millia virorum,
C Æthiopes verò decies centena millia. Æthiopes uſque ad internecionem perierunt, quia Domino cædente contriti ſunt. 3. *Paralip.* 14.

Joachaz Iehu F. Iſraelitarum Rex, Jeroboam idololatriam ſecutus, ab Hazael Syrorum Rege clade maxima fuit affectus. 4. *Reg.* 13.

Syrorum centum millia ad urbem Aphecam ab Achab Iſraelitarum Rege cæſa, eorumque Rex Benadab captus, XXVII. millia ruina muri periere. 3. *Reg.* 20.

Judas Machabæus mille militibus Nicanorem Demetrii Regis legatum cum IX. millibus ad Bethoron vicum ad internecionem cecidit. 1. *Machab.* 7.

Idem ducenta triginta ſex hoſtium millia, & ſeptingentos occidiſſe ſcribitur. 2. *Mach.* 15. dum contra Nicanorem, Seronem, Timotheum, Bachidem, duces Epiphanis, & Eupatoris Antiochorum, patriam religionem fortiter defenderet.

Judæorum tria millia à Jonathan Judæorùm duce ad Regem Syriæ Demetrium Nicanorem miſſa, orta ſeditione Antio-
D chiæ centum millia trucidarunt, urbemque incenderunt, quæ à Demetrio ad Antiochum deficere parabat. 1. *Machab.* 11. *& Joſephus lib.13. cap.9.*

Priſcis mos erat, ut vates aciem præcederet, lauro coronatus, ac facem geſtans πύροφορος inde dictus. Ab hoc belli vim abſtinebant utrinque, quod nefas ducerent, in virum ſacrum ferrum ſtringere. Proinde ſi crudelem aliquam ſtragem ſignificare volebant, ne ignifero quidem parcitum ajebant. Meminit adagii *Euſtathius Iliad. μ.* enartans hos *Homeri* verſus:

οὐκ ἔπειτ' οἶος ἀγχίστου ἀποτίνεται
Ἀιδόρου ἀστὸ ἄνω. *Eraſmus.*

Cùm terra nimia hominum multitudine ſe premi conqueretur apud deos, Jupiter conſilium iniit, ut vetuſtiſſimam dearum aliqua ratione exoneraret. Momus igitur, aliis aliud conſilium dantibus, ſuaſit, atque etiam perſuaſit, ut primò Thebanum bellum excitaretur, inter Polynicem, & Etteoclem fratres, in quo totus Argivorum exercitus, qui Polynicem ſecutus fuerat, unico Adraſto Rege excepto, cecidit: deinde,
A ſi illud ſatis eſſe non videretur, per Thetidis θυγατρὸς καλὸν γόνον, & E
Helenæ ſcilicet, belli Trojani cruentiſſimi fundamenta jacerentur. Sic igitur terra fuit exonerata. Euripides in Oreſte, & Euſtathius *in primo Iliados*, ubi inquit *Homerus*:

—— Διὸς δ' ἐτελείετο βουλὴ

Ad Trojam corruere ex Argivis, ſicut *Dares* ſcribendo tradidit, octingenta octoginta ſex millia. Ex Trojanis uſque ad oppidum proditum 676. millia, per decennium.

Zoroaſtres Bactrianorum Rex, cùm quadringentorum millium exercitu, Nino Aſſyriorum Regi obviàm factus, qui pedites ad decies ſepties centena millia, equitum millia ducenta, currus falcatos XM. habuit, cum in fugam vertit, uſque ad montes proximos, centum millibus hoſtium cæſis, perſequutus eſt.

Locus in Samo Panæma dicitur, quia fugientes Dionyſium Amazones ex Epheſiorum finibus in Samum evolavere. Mox ille navibus compactis tranſmiſit, commiſſoque prælio magnum earum numerum concidit apud locum hunc: quem ex vi manantis ſanguinis ſtupore correpti, qui ſpectabant, Panæma appellaverunt. Ex iis, quæ occubuerunt, aliquæ feruntur ad Phlœon cecidiſſe, quorum oſſa ibi monſtrantur. Sunt, F
qui dicant etiam Phlœon ab eis fuiſſe, quòd grandi clamore, & acuto uterentur diruptum. *Plut. in quæſt. Græc.*

Sacæ Bactrianam occupavere, & optimam Armeniæ regionem adepti ſunt, quæ ab ipſis poſteà Sacaſena eſt appellata, atque uſque ad Cappadocas proceſſerunt, eos præſertim, qui ad Euxinum vergunt, quos Ponticos vocant. Sed cùm ex ſpoliis feſta celebrarent, Perſarum Imperatores eos noctu adorti, funditus delevere: ac petram quandam, in campo ſitam, in montis figuram, terra exaggerantes: muro circumdederunt, Zela dictum, atque Anaitidis, & ſociorum deorum Amani, & Anandati, qui ſunt Perſarum numina, conſtructo delubro, annua ibi ſolemnia inſtituere, nomine Saca. Nonnulli verò tradunt Cyrum, ducto adverſùm eos exercitu, prælio ſuperatum aufugiſſe: caſtra bonis omnibus inſtructa, præſertim vino, reliquiſſe. Sacæ caſtra viris deſerta reperientes, immodicè implebantur. Cyrus converſus vinolentos oppreſſit, & diem illum patriæ deæ conſecrans, Sacæa, nominavit. Die, ac nocte Bacchanalia agitantur, & viri ſimul, ac mulieres cò uſque potant, donec ſtupore comprehendantur. *Strab. l.11.*

Diomedes in Dania Apulia delevit gentes Monadorum, Dardorumque, & urbes duas, quæ in proverbii ludicrum vertere, Apinam, & Tricam. *Plin. l.3. c.11.* G

Cùm ſuadente Pythia, Græcorum ingens multitudo Cyrenam ſe contuliſſet. Batto III. regnante, finitimorum Pœnorum agros vaſtabant, atque inter ſe partiebantur. At illi, eorumque Rex, nomine Adierant, agris exuri à Cyrenæis miſſis in Ægyptum quibuſdam, ſeſe dediderunt Aprii Ægyptiorum Regi. Iſte comparatum grandem Ægyptiorum exercitum miſit adversùs Cyrenas. Cyrenæi inſtructa apud Iraſa locum, & ad fontem Theſtin acie, cum Ægyptiis conflixerunt, eoſque ſuperaverunt, utpote inexpertos anteà, atque contemptores Græcorum: adeòque profligarunt, ut pauci ex eis Ægyptum redirent. Qua de re Ægyptii ſuccenſentes Aprii, ab eo deſciverunt. *Herod. l.4.*

Major Cyrus, qui Lydorum regnum evertit, trans Araxem fluvium cum CC. millibus Perſarum à Scytharum regina Tomyri tam fœda occiſione occiſus eſt, ut ne nuncius quidem tantæ cladis ſuperfuerit. *Sab. l.6. c.5.*

In Marathoniis campis ducenta millia Perſarum uno ajunt H
prælio deleta: & quod magis miretur poſteritas, decem millia duntaxat Athenienſium duce Miltiade, cum Platæenſibus mille auxiliaribus, adverſùs ſexcenta Barbarorum millia, quos Artaphernes, & Datis Regis Darii præfecti ducebant, aciem ſtruxere *Sab. l.6. c.5.*

Calamitoſius eidem genti adhuc bellum haud dubiè habendum, quod Xerxes in Græciam inſtauravit, ſi Salaminæ pugnæ, & Platæenſis damna æqua lance æſtimentur: ac verius verò dixerit, ſi quis ex ullo nunquam bello affirmet majorem humano generi injuriam invectam. Namque duce Pauſania Lacedæmonio, ad Platæas Mardonium Xerxis ducem cum CCC. millibus proſligarunt. Ad centum millia Perſarum occiderunt, decem millibus ſuorum deſideratis. *Didor. l.11. c.1.* Quid funerum abſumptum ſit, illud argumento fuerit, quod cadavera paſſim ſtrata prælio, vel tempeſtate, corporaque morbo, & vaſtitate enecta, aliaſque alia peſte abſumptos, mare, & terra

vix

vix ceperit. Quique modò terrestres, navalesque copias ul-
A tra decies centena peditum, equitum verò octoginta millia
armatorum, in expeditionem duxerat, cuique sexcenta mil-
lia frumenti modia diurna cibo, & tot flumina exhausta po-
tui non sufficerint: is cum multa cæde, & fuga à paucissimis
cæsus, & profligatus, inconsulti certaminis, & temerariæ
expeditionis insignes pœnas dederit: ipseque tanti exercitus
Imperator magnificus, tanta clade oppressus, inermi nave per
stragem corporum, armorumque vix effugerit. *Alex, ab Alex.*
l.6. c.25.

Ad Mycalem Joniæ, duce Leontychida Spartano, &
Xanthippo Atheniense, Persarum ad XL. millia cæsa: qui
superstiere, partim ad exercitum, partim Sardeis conces-
sere. *Diod. l.11.*

Argivi apud Tirynthum à Cleomene Rege Lacedæmo-
niorum cæsi, plures in lucum Argi fuga elapsi sunt. Quos cùm Cleomenes redemptione simulata evocatos in-
terimeret, reliqui re cognita prodire amplius noluerunt.
Itaque Cleomenes ignem luco injecit, & Argivos omnes
vivos excussit. Ex eo igitur Argos ita viris desolatum est,
ut servi eorum res omnes susceperint, atque magistratus
administrarint, dum filii cæsorum ad puberem adolevere
B ætatem: qui sese in suum jus asserentes, ac reversi Ar-
gos, mancipia ejecere. Servi ejecti, prælio Tirynthum
obtinuere, eatenus quidem, dum fuit in eis mutua bene-
volentia, & donec ad eos venit vates quidam Cleander,
genere Phygaleus, ab Arcadia. Is persuasit servis, ut domi-
nos adoriretur. Unde bellum inter eos diuturnum extitit,
donec Argivi ægrè evasere victores. Ob hoc igitur ajunt Ar-
givi Cleomenem ad insaniam redactum, malè perisse. *Hero-*
dotus l.6.

Ad Leuctra Epaminondas Thebanus Lacedæmonios in-
genti superans prælio, eorum calamitatis, & cladis initium
reperit. Ex eo enim tempore Græciæ principatum ultrà re-
cuperare nequiverunt, quem priùs adepti tenebant, præser-
tim posteàquam secundò apud Mantineam congressi, rem
infeliciter gesserunt. Unum tamen illis, quanquam hunc in
modum afflictis, permansit, ut nullorum aliorum ditioni
subjecti sint, usque ad Romanorum imperium, à quibus eis
habitus perduravit honor, propter regendæ civitatis probita-
tem. *Strabo l.3.*

Lacedæmonii maxima omnium clade, qua Græci Græ-
cos afficerint, ad Arginusas ab Athenienfibus affecti. *Dio-*
dorus l.15.

Cùm bellum esset inter Prienenses, & Samios, initio me-
C diocribus damnis invicem sese afficiebant: deinde justo præ-
lio commisso, mille Samii à Prienensibus occisi sunt. Septi-
mo post anno congressi cum Milesiis, primos quosque civium,
ac nobilissimos simul uno prælio amiserunt. Post eam cala-
mitatem Prienensium fœminæ per tenebras, quæ circa Quer-
cum erant, obtestari, ac dejerare cœperunt, quòd liberos,
parentes, majores, carissima quæque pignora eo loco perdi-
dissent. *Plut. in problematis.*

Cùm Athenienses ad repetendas statuas Damiæ, & Auxe-
siæ, quas Æginetæ Epidauriis abstulerant, Æginam triremim
misisset: Æginetæ Argivorum ope implorata exercitum
Athenienfium ad internecionem ceciderunt, unico tantùm
superstite, qui Phalerum profugit; alii tamen narrant, Athe-
nienses, dum statuas restibus devinctas in navim pertrahere
conarentur, furore divinitùs agitatos mutuis concidisse vul-
neribus. *Herod. l.5.*

Cæsa sunt in prælio ad Isum Ciliciæ commisso inter
Darium Persarum, & Alexandrum Macedonum Reges ad
D centum viginti millia peditum Barbarorum, equitum haud
minùs decem millibus. Macedones pedites circiter trecen-
ti, equites centum quinquaginta desiderati sunt. *Diod.*
lib.17.

Prælio ad Arbela contra Darium ab Alexandro commisso,
creduntur in ea pugna Barbarorum peditum, & equitum plu-
res 90000. Macedones ad 502. cecidisse, vulnerati fuisse quam-
plurimi, *Ibidem.*

Zopyrion Ponticæ regionis præfectus ab Alexandro, otio-
sum se ratus, nisi aliquid suo ductu ea quoque parte gereretur,
cum viginti millibus hominum, Scythis, qui supra Pontum in-
colunt, bellum intulit: cæsusque cum toto Exercitu pœnas luit
innoxiæ gentis temerè lacessitæ. *Sab. l.4. En.4.*

Pyrrhus Epirotarum Rex, ad Sirin fluvium primùm Ro-
manos vicit. Roman. cæsa quindecim millia: de Græcorum
exercitu tredecim millia. Secundo prælio ad Asculum com-
misso, desiderata ex ambobus exercitibus Pyrrhi, & Romano-
rum plus quindecim millia. Ibi fertur, Pyrrhus ad quen-
dam sibi gratulantem dixisse: Actum planè de nobis sit, E
si uno adhuc prælio vincendi nobis sunt Romani. Quip-
pe exercitum, quem portaverat in Italiam, amiserat ma-
gna ex parte, amicos ducesque, paucis exceptis, omnes:
nec supererant alii, quos excitaret: & socios, quosillic ha-
beret, videbat, segniores: contrà Romanis quasi ex fonte
affluente suppleri domo abundè, & celeriter legiones,
neque infringi cladibus animum, sed pertinaciam, & con-
tentionem animi iis ex ira ad prælium crescere. *Plutarchus*
in Pyrrho.

Ad Cannas Romani ingenti clade affecti. Quadraginta mil-
lia peditum, duo millia, & pcc. equites cæsi, pari propè
numero civium, sociorumque, & præter alterum consulem
Publ. Æmilium, quæstores duo, unus & viginti Tribuni mi-
litum, Consulares, Prætorii, Ædilitii quidam, & in his
Cn. Servilius prioris anni Consul. Polybius Attilium quoque,
qui cum Servilio nuper Consul fuerat, ea acie periisse, auctor
est. Periit & Minutius, qui sub Fabio equitum magiste-
rium gesserat: LXXX. senatores, aut qui tali honore functi
essent, ut meritò in senatum legi deberent. Capta in acie
tria millia peditum, & trecenti equites. Ex hostibus, ad quin-
que millia, & sexcentos periere. An. 540. V.C. Postridie F
cum victor Pœnus legeret spolia, multi reperti sunt, qui vul
neribus matutino frigore obstrictis inter cadaverum acervos
surrexerant, hique hostium injuria obtriti. Alii non pauci
cæsis feminibus, poplitibusque jacentes ad reliquum sanguinis
hauriendum porrecto jugulo hostes invitabant. Quidam tel-
lure effossa caput immerserant, terraque superinjecta expira-
verant. Subtractus est Numida Romano mortuo superincum-
benti, naso, auribusque laceris. Is manibus ad tractanda arma
inutilibus factis, in iram, & rabiem versus, subjectum
hostem dentibus moriens laniaverat. *Sab. l.1. En.5. Ex Plut.*
Fabio, & Livio.

Trebiam, Trasimenum, & Cannas Romanus cruor nobi-
litavit: sed major propemodum clades ad Metaurum Umbriæ
flumen Pœnis repensa est, ubi sexaginta, & amplius Pœno-
rum millibus cum Hasdrubale duce, ex Hispania veniente,
ut sese fratri Hannibali jungeret, cæsis, Claudius Nero, & M.
Livius Salinator Romanorum sanguinem toties eo bello fu-
sum fortiter vindicavere. Nec victoria Romanis parvo consti-
tit, octo millibus hominum ea acie amissis. Ingens præda par-
ta est, auri, & argenti immensum pondus. Postridie nuncia-
tum est Livio, Ligurum, & Gallorum consternatam manum
domum abire sine duce, ac penè inermem, modico equitatu
immisso, ad unum occidione occidi posse. Sint, inquit ille, G
aliqui hostium suæ cladis nuncii, nostræque virtutis testes.
Adeò hostilis sanguinis satietas victores ceperat. *Sab. l.4. Enn.*
5. & l.6. c.5. Exemplorum.

Romani, signa Gallis ad urbem rapientibus, legiones non
pauciores numero, erant enim non infra quadraginta milia
peditum verùm tumultuariòs plerosque, ac tyrones ad bel-
lum eduxerunt, deorum immemores, non litato, non auspi-
cato, quomodo expetere pacem Deum ante certamen, & G
pugnam conveniebat. Jam ducum multitudo non mediocre
m confusionem rebus gerendis attulit: cùm tamen ad me-
dia bella multis tempestatibus ante unicum ducem, quem Di-
ctatorem vocant, dixissent: haud nescii, quanti dubiis tempo-
ribus interfit uno animo cives libero imperio, à quo provoca-
tio non sit, dicto esse audientes. Maximo detrimento Reipubl.
Camilli indigna fuit fortuna in exilium acti. Profecti ab urbe
ad undecimum lapidem castrametati sunt prope flumen Al-
liam, qui haud procul inde immiscet se Tyberi. Quo loco cum
obviis Barbaris fœdè, quia incondita omnia apud ipsos erant, H
prœliati in fugam vertuntur. Sinistrum cornu in amnem actum
illicò hostes oppressere. In dextro, quod ex campis sensim im-
pressionem declinans ad colles successerat, minùs damni acce-
ptum. Horum plerique inde incolumes evaserunt ad urbem.
Alios, quos hostis satietate cædis reliquos fecerat, quasi Ro-
ma desperata, ac complorata Republica, fuga nocte detulit
Vejos. *Plut. in Camillo.*

Bello Punico secundo, revocato in Africam Annibale, ur-
gente Publ. Scipione, duarum nobilissimarum bello gentium
duo clarissimi duces, de imperio orbis terræ prope Zamam, su-
premas vires quasi in medium effundentes, pugnam memora-
bilem conseruere: in qua victores Romani, primùm hostium
elephantos, deinde equites in fugam verterunt, demùm acriùs
inferentes pedem, totam aciem profligarunt. Cæsa, aut capta
ex Carthaginensium copiis supra quadraginta millia ho-
minum à Romanis ferunt. Annibal ex tanta cæde incolumis
eva-

evasit, nullo strenui ducis eo die munere prætermisso. *Auctor*
A *vitæ Scipionis.*

Publ. Cornelius Nasica Consul Gallos Bojos ingenti præ-
lio vicit. Ad duodetriginta hostium millia cæsa, auctores qui-
dam tradiderunt. Capta millia, & amplius, cum signis mi-
litaribus CXXXVII. Ex victore exercitu mille, & quadringenti
perierunt. Boii ea clade afflicti, haud multò post in deditio-
nem venere. *Sabell. lib.7. Ennead.5.*

Q. Fabius Maximus Consul, cum Cn. Martio Rutilio apud
sylvam Criciniam sexaginta Hetruscorum millia partim cepit,
partim interfecit. *Livius.*

C. Sulpitius Samnites apud Maleventum superavit, cæsis
ex eis ad triginta millia. *Frontinus lib.2. & Livius lib.7.*

L. Lucretius Tricipitinus cum T. Veturio Gemino consul
contra Volscos præfectus, eorum nomine propè deleto, de-
cem millibus: & CCCCLXX. cæsis, triumphum duxit. *Livius*
lib.3. Decad.

T. Manlius Torquatus bello secundo Punico, qui Con-
sul anteà Sardos subegerat, rebellantes magna clade affecit,
triginta millibus cæsis, Hasdrubale capto. *Volat. lib.17.*
Anthrop.

C. Cassio Longino, & Domitio Calvino consulibus, qui
annus fuit V.C. 627. primùm Romana arma in Hallos trans-
lata, adversùs Arvernorum gentem, eorumque Regem Vir-
B turum. Is virorum numero fretus, jactare erat solitus fore,
ut Romani ob infignem paucitatem, ad escam canibus, quos
G alli in exercitu alerent, haud satis futuri essent. Habebat
sub signis ad centum octoginta hominum millia. Cæterùm vi-
ctus est Gallus, centum quinquaginta bellatorum millibus
partim cæsis, partim Rhodano submersis. Præda ingens ex
Gallorum torquibus sublata. Virtutusque vivus venit in
Romanorum potestatem, deque eo consules Romanorum rev ersi
celebrem triumphum egere. *Sabellicus lib.1. Enn.6.*

Fabius Maximus Æmilianus, Pauli nepos, Bituitum Ar-
vernorum Regem ingenti prælio vicit, cæsaque sunt una pu-
gna, ut Livius scribit, centum viginti Gallorum millia. Strabo
ducenta numero millia in acie stetissent. Bituitus Romam
profectus, ut senatui satisfaceret, Albæ est jussu patrum custo-
ditus. *Sabell. lib.1. Enn.6.*

M. Cassius bello servili victor fuit, trecentis supra XII. millia
Servorum diversis locis cæsis. *Plutarchus in Pompejo.*

Ad Tigranocertam Armeniæ Lucullus Tigranem Regem
vicit. Centum millia Barbarorum, & amplius eo die cæ-
sa Plutarchus tradidit. Ex tam numeroso nuper equita-
tu, præter paucos, omnes desiderati. Nullo unquam præ-
C lio, ut Livius scribit, Romani pauciores numero adver-
sùs tot millia hostium conflixerunt: ut victorum numer-
us vix æquaverit vigesimam eorum partem, qui victi sunt.
Sab. lib.4. Enn.6.

C. Manlius, & Q. Servilius Cæpio proconsules à Cimbro-
rum gente circa Rhodanum ingenti prælio victi, castris exuti
sunt, & ex Romano exercitu octoginta millia hominum cæsa,
calonum, & lixarum XL. millia. Nullo unquam prælio tanta
vis hominum à Romanis desiderata. Cœpioni, cujus temeri-
tate ea clades accepta est, plebiscito, quod post Tarquinium
nulli acciderat, est imperium abrogatum, atque ejus bona pu-
blicata. *Sab. lib.2. Enn.6.*

Ad Sextias aquas à C. Mario Ambronum, & Teutonum
ad decem, & amplius myriades, id est, supra centum millia
hostium, aut cæsa, aut capta dicuntur. Livius ducenta millia
cæsa, & nonaginta capta, auctor est, & in his Theutobocum
corum Regem, hominem eximia magnitudine, & qui qua-
D ternos, fenosque equos solitus erat transcendere. Massilienses,
quod ad magnitudinem cædis attinet, procedente tempore
humanorum ossium congerie vineas munivisse dicuntur, ter-
raque, dilutis crebrò imbrium casu cadaveribus humano cruo-
re, & adipe macerata, in ubertatem, & frugum copiam in-
credibilem resoluta est. Supra sexaginta millia capta dicun-
tur, bis totidem, & amplius cæsa. Nec multò propè Vercel-
las Cimbria à Mario, & Catulo victi. *Sab. lib.2. Enn.6. ex*
Plut. Mario.

Nulla Italiæ gens ditiùs Rom. vires exercuit, quàm Sam-
nites. Ferox genus hominum, & ad bellandum natura com-
paratum. L. Sylla dictator postremò gentem ipsam delevit:
quos prælio victos, ac ferè ad unum interfectos, ad quatuor
millia, ut quidam tradunt, per deditionem recepta in cam-
po Martio ad Ovilia militibus ad cædem immissis triduo ju-
gulavit, fassus nunquam Rom. pop. pacem habiturum, donec
Samniticum per se nomen consisteret. Quibus fortuna belli
pepercisset, eos proscriptione infectatus, ad unum penè su-
stulit. *Sab. lib.3. Enn.4.* E

Tres Pompeii Cohortes in ponto à Mosyncecis sive Hépta-
cometis obtruncatæ fuere: melle furente potos, & mente alie-
natos milites adorti, *Strabo lib.12.*

C. Julius Cæsar, qui posteà Dictator fuit, prædicare soli-
tus dicitur, undecies centum, & nonaginta millia Hostium,
præter eos, qui civilibus bellis periissent, suo ductu, &
auspiciis cæsa. In Gallia enim bis diurna pugna cæsa sunt
centum hostium millia. Quòd si ad unum ducem, qui
paucis annis bellavit, tanta humani generis jactura refe-
renda est, quid in tot ducibus tam longa rerum serie evenisse
oportet, quanta prima hominum memoria censetur? *Plu-*
tarchus.

Germani Quintilium Varum, cum Legionibus Romanis
tribus apud Bructeros (qui sunt Frisiis contermini) delevere.
Ob quam cladem Augustus consternatus barbam continuos
aliquot menses nutrivit. Nihil fuit illa cæde cruentius. Tres
enim legiones obtruncatæ, signa, & aquilæ à Germanis ca-
ptæ, quas adhuc hodie in imperii insignibus gestant. Non enim
biceps est aquila, ut imperium vulgus credit: sed duæ simul,
quarum altera alteram expansis alis obtegit. Tertiam signifer
legionis tertiæ abstulit, paludeque demersit, ne in hostium
manus veniret. Nec unquam hæ redditæ sunt Imperatoribus
Romanis, quod Parthi fecerunt, sed semper in hunc usque
diem servatæ. Licet Tacitus scribat, Germanicum, cùm in F
Teutoburgiensi saltu reliquias Varianæ cladis inspicere con-
cupisceret, per L. Stertinium apud Bructeros undevicesi-
mæ legionis aquilam cum Varo amissam reperisse. *Cuspin.*
ex Suetonio.

Herodis Antipæ Exercitus, quem adversùs Aretam Ara-
biæ Regem, & socerum de Gamalitici agri finibus edu-
xerat ab Arabibus ad internecionem deletus. *Josephus lib.18.*
cap.17. Antiq.

Mortuo Othone, Vitellius ab Occidentalibus, Vespasianus
ab Orientalibus exercitibus electus Imp. Ad Cremonam An-
tonius I. Vespasiani dux, XXX. millia Vitellianorum interfecit,
amissis suorum IV.M. Romam inde progressus, Vitellium cum
L. millia auxilio populi trucidavit. *Josephus lib.5. cap.13. belli*
Judaici.

Judæorum captivorum omnium toto bello Judaico no-
naginta, & septem millia fuere. Mortuorum verò per omne
tempus obsidionis undecies centena millia. Ab omnibus enim
regionibus ad Azymorum diem festum congregati, bello su-
bitò circumfusi sunt: ubi primò quidem illis pestifera lues ex
loci angustia nata est, deinde fames. *Josephus lib.7. cap.17.* G
belli judaici.

Judæi, qui circa Cyrenem habitabant, Andrea quodam du-
ce, Romanos pariter, atque Græcos conciderunt, atque eorum
carnibus usi sunt: viscera edebant, eorum sanguine oblinitis
sunt, pellibusque induti. Multos à vertice transfixere medios,
multos objecere bestiis, multos etiam certare inter se coege-
runt, ita ut interierint hominum ad ducenta viginti millia.
Dion. Nicæus, & Xiphilinus in vita Trajani.

Vespasiano imperante Cerealis senator, Vespasiani affinis
rebelliones Germaniæ compescuit, multis prœliis factis, in
quorum uno tanta Romanorum, & Barbarorum multitudo
cæsa est, ut mortuorum cadavera profluentis cursum retinue-
rint. *Xiphilin. in vita Vespasiani.*

Alexander Severus Imp. tripartito agmine contra Artaxer-
xem Persarum, & Parthorum Regem movens, infeliciter di-
micavit. Augmen tertium Rom. dum frustrà Alexandri adven-
tum expectant, hostili equitatu circumventum ad internecio-
nem cæsum. Tanta vis hominum ibi deleta est, ut inter insi- H
gnes clades, quas Romani toto Oriente aliquando adiere,
fuerit hæc, ut Herodianus scribit, aut omnium fœdissima, aut
certè inter paucas memorabilis. Nec minùs afflictæ Persarum
res, ita ut quadriennio post omni bellico conatu, abstinuerint,
Sabel. lib.6. En.7. ex Herodiano. Verùm *Lamprid.* felicissimam
Romanis eam fuisse expeditionem asserit.

Claudius II. Imp. trecenta millia Sarmatarum cecidit ad
Martianopolim. *Ravisius.*

Maximinus Britanniæ tyrannus sub Valentiniano III. im-
perii propagandi cupiditate in Galliam trajecit, Armoricam
subegit. Legionem, quam ad insulæ præsidium Dionetho so-
cero Regi in Britanniæ reliquerat, evocavit, Armoricos re-
belles occidit, & ne viduata incolis in prædam Gallis cederet
centum millia Britannorum eò deduxit, Conanum Britannum
illis Regem dedit. Britanniæ inde nomen traxit, abolito vete-
re Armoricorum nomine. In hunc modum à Maximino viris,